INGENVÆ OBSERVATIONES APOLOGETICÆ PHISYCO-LEGALES,

DE FOETVS ANIMATIONIS & Natiuitatis tempore, &c,

AVTHORE D. FRANCISCO VERDE SS. Theologiæ, necnon V. I. Doctore: ac in Neapolitana Vniuersitate sacrorum Canonum interprete.

Accessit Tractatus summè vtilis de administrando Sacramento Baptismatis Humanis fœtibus abortiuis.

Per R. P. MAXIMILIANVM DEZA Congregationis Matris Dei.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXIV.
CVM PRIVILEGIO.

E*St Adagium apud Græcos receptum*, Ἢ φρονεῖν ἔλασσον, ἢ δύνασθαι δεῖ μεῖζον. Oportet, aut minùs animoſum eſſe, aut plus habere virium. *Vide Ioannis Buxtorſij, Filij, Tractatum de punctis Hebraïcis, in Præfat. pag.*)( )(4. *a.*

Ita denique agatur, vt non voluntate, ſed intellectu proficiſci diſſentio noſcatur. *Plutarchus de regendâ Reipublicâ.*

Arrogantia non eſt, vel quærere, vel aſſerere Veritatem. *Auguſtinus lib. contra Creſcon. cap. 66.*

Duo ſunt, quæ in errore hominum difficillimè tolerantur: Præſumptio priùs quàm veritas pateat (*vt, ſi quis auderet aſſerere*, certum eſſe tempus animationis fœtûs) &, cùm iam patuerit (*veritas*) præſumptæ defenſio falſitatis (*vt, ſiquis, poſtquam ratione apodicticâ & omnium Philoſophorum & Theologorum authoritate D. Franciſcus Verde*, eſſe incertum tempus animationis demonſtrauerit, *adhuc pertinax, in re tam graui, à quâ tam multarum pendet ſalus aut perditio Animarum, audeat extra chorum ſaltare, & hanc pernitioſam & improbabilem opinationem*, Certum eſt tempus animationis; *ne ſe erraſſe confiteatur defendere.*) Idem Auguſtinus libr. 2. de Trinit. in Procemio.

LECTORI.

MIRABERIS Lector, me stilo remisso has obseruationes exarasse. Coactus feci. Ne opiniones me docuisse aëreas, scopulosas, bonis moribus, ac fidei (pro quâ quæcumque dura pati, sanguinémque ad vltimam vsque guttam profundere paratus sum) aduersas, aliqui crederent. Illa, de quibus controuersia fuit cum quibusdam ad trutinam, non tam rationis, quàm auctoritatis reuoco, vt videant in posterum vniuersi, nunquam à me prodiisse sententias, quibus negari meritò lux possit; aut quibus conueniat interdictum ignis, & aquæ.

Vt huius imaginationis præiudicium deponatur, meo Nomini, Amicis, & bono Communi satisfacturus, inuitus calamum sumo, neminem offensurus; Tantum meos filios, (tales enim sunt ingenij partus) ab insultibus defensurus. Modestissima erit defensio. Nec ero alicui iniuriosus cùm vtar iure meo. Tu deinde, ne damnes meas opiniones, antequam illas legas; Nam ego profiteor omnes, Classicorum Doctorum calculo, esse munitas. Quòd, si aliquam consequentiam deducam, illa Logicæ debetur, quæ ex principiis admissis, eruit conclusiones. Insuper te monitum volo, quod quando consequentia est nouitatis obnoxia, ego adduco Doctores alios, aut illam, nisi suis libratam ponderibus non profero; Talis est, quam impressam dedi Neapoli anno 1661. sub auspiciis Eminentissimi Corradi, concl. 7. ibi. *Consuetudo, quæ sunt diuturni mores consensu vtentium approbati, si sit rationabilis, & legitimè præscripta legem tollit. Non potest præscribere contra libertatem. Non inducit legem, sine voluntate vtentium, & consensu circa obligationem, vt in quibusdam eduliis*, quam docuit Sanchez 4. *decalogi, cap.* 25. *n.* 52. Turlench. 3. *Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 4. Tambur. *lib* 4. *Decalogi cap.* 5. *num.* 21. Escobar *part.* 3. *de Ieiunio cap.* 3. Amadeus Guimenius *ex tract. de horis canonicis prop.* 2. Busembaus *in medulla impres. Rom.* 1658. Vasquez, Rodriq. Henriq. Sancius, Bossius, Villalobos, Filliuc. Portella, Corsetus, Diana, Pasqualigus, & alij,

TYPO

TYPOGRAPHVS.

HAbes hîc, Lector Candide, duos Tractatus de Animatione Fœtûs, quorum posterior priorem asserit & confirmat: frustra enim R. P. Maximilianus Deza abortiuos quoscumque baptizari præciperet, nisi hæc Positio, *Incertum est tempus animationis*, quæ Clarissimi D. Francisci Verde est, esset certa. Fundamentum est hoc, ex quo in Theologiâ Morali, & vtroque Iure graues consequentiæ inferuntur. Quæ ex hac inferri debeant, D. Maximilianus Deza; quæ ex illo aut illo D. Franciscus Verde firmissimâ ratione edisserit. Tuum erit Logicæ & Physicæ contra indoctos fauere; meum autem hos & alios similes Tractatus euulgando, Ecclesiæ & Scholæ seruire. VALE.

APPROBATIONES.

HOS duos Tractatus primum *de Tempore animationis & natiuitatis Fœtus*, Authore D. Francisco Verde Doctore Theologo & in vniuersitate Neapolitana sacrorum canonum Interprete. Alterum *de Baptismo ministrando humanis Fœtibus abortiuorum*, per Dominum Maximilianum Deza Congregationis Matris Dei, nos infra scripti Facultatis Parisiensis Doctores Theologi accuratè perlegimus, & ne cancellos reuisorum excedere videamur, fidem facimus nihil contra fidem & bonos mores continere, actum in maiori Carmelo nostro Lugdunensi die Augusti decima nona anno 1663.

Fr. MOLIN.

Fr. ELIAS VIAL.

LICENTIA ORDINARII.

VIsâ Doctorum approbatione duos præfatos Tractatus primum *de Tempore animationis & natiuitatis Fœtus*, Authore D. Francisco Verde Doctore Theologo, alterum *de Baptismo ministrando humanis Fœtibus abortiuorum*, per D. Maximilianum Deza typis mandari permittimus. Lugduni die eadem & anno.

DE NEVF-VILLE, Vic. Gen.

CONSENSVS.

TRactatum hunc inscriptum *D. Francisci Verde V.I.D. &c. Disceptationes Apologeticæ de Tempore animationis & natiuitatis Fœtus*, &c. typis mandari & in lucem edi sumptibus LAVRENTII ANISSON, Bibliopolæ Lugdunensis, Ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi præfectura, non impedio. Lugduni die 23. Augusti 1663.

VIDAVD.

PERMISSVS.

VIso Procuratoris Regis consensu, hunc librum typis mandari LAVRENTIO ANISSON concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat prohibemus. Lugduni die 24. Augusti 1663.

DE SEVE.

INDEX

INDEX
OBSERVATIONVM, ET CAPITVM.

Omnes numeri sunt Marginales.

Appen

TRACTA

TRACTATVS I.

OBSERVATIONES APOLOGETICAS, Physico - Legales.

DE FOETVS ANIMATIONE & Natiuitate complectens.

OBSERVATIO PRIMA.

De Officio Reuisoris.

QVANQVAM, Excellentis prudentiæ, patientiæ, modestiæ, scientiæque sint ad publica munera seligendæ personæ. Maximoperè, hoc, cum omnigena scientia supereminenter, in librorum Reuisore, exposcit commune bonum. Diligens, & perpetuus debet esse in euoluendo monumenta Doctorum. Neminem perperam debet damnare; aut gratis carpere. Grauem enim Auctori irrogaret iniuriam. Trutina rationis debet sapientissimorum Virorum dicta expendere; & in fauorem Auctoris dubia interpretari. 1 2

Eius officium, contra fidem & bonos mores, libris (tanquam certis cancellis) clauditur, & excedendo, est Auctori iniurius; communitatem grauiter læderet, vsurpando ius, quo caret. Non debet se sibi credere; nam quilibet homo est errori cognatus. 3

4 Si cognoscat se errasse, humiliter à se errorem excutiat. Nam, si displiceat, quod placuit, mutata in melius sententia, illustratur, non denigratur Nomen. Multa retractarunt Doctores.

5 Sciat S. Ambrosium *lib. & cap.* 1. *Officiorum*, ita scribere: *Quantumlibet quisque profecerit, nemo est, qui doceri non egeat.* S. Hieronymum *de vita Clericorum* ad Nepoſianum, *Senectus ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior.* Auscultet Canum qui *in proœmio ad lib.* 12. *de Locis*, hæc doctissima verba omnibus legenda aut etiam suspicienda reliquit. *Illos probare non soleo*, ait, *qui velut Sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, vt Fabri verbis vtar, nefas ducunt à susceptâ semel persuasione discedere. Theologo*

6 *nihil est necesse in cuiusdam iurare Leges.* Euoluat Gabrielem de Henao S.I. anno 1659. impress. Salamanticæ *parte* 2. *de sacrificio Missæ in fine, in Claui Magistri sententiarum, vbi num* 225. sic scribit. *Hinc colligitur, varietatem inter multos, nouitatémque opinandi, ac cupiditatem extumulandi sententias, aliquas veteres, vel reuocandi eas è solitudine in conuenticula sapientum, non esse temerè damnandam, confitiendamque lethali, & funesto Senatusconsulto.* Et reuidendus

7 Canus *supra lib* 8. *de Locis cap.* 5. ibi. *Theologos omnes admonitos esse velim, vt sepositis, non affectionum modò, sed opinionum etiam præiudiciis, de causis fidei prudenter, grauitérque decernant, Non enim, si quidpiam in Scholis, bonis etiam temporibus inueterauit, mox fidei dogma æstimandum est. Sunt autem nonnulli, qui per eas persuasiones, quibus à principio sunt imbuti, de rebus grauissimis sententiam ferunt, temeritate quadam, sine iudicio, repentino quasi vento inclinati. Hi autem in eo primùm errant; quod Scholæ opiniones à certis constantibus decretis non separant. Deinde errant in eo, quod duo rerum genera confundunt. Vnum quidem earum quæ ad Religionem attinent: Earum alterum, quæ hanc ne attingunt*

8 *quidem. At, si Sanctorum veterum consensio, vt libro superiore definitum est, non in omnibus legis quæstionibus, sequenda nobis & tenenda est; sed solùm in fidei regulâ, nec quauis illorum, etiam in re graui, communis opinio, fideles astringit; sed*

ſed firmum conſtánſque iudicium. Hæc cordatiſſimè Canus. Conſentitque. De Henao *ſuprà,num.* 125.

Si hoc Doctiſſimi Cani documentum præ oculis habebunt, ceſſabunt iurgia, abſtinebitur à cenſuris, & confligetur in Gymnaſiis ſine dolore. Præcipuè obſeruationes controuertendæ quatuor ſunt. Primò, *Simile non agit in ſimile.* Secundò, *Incertum eſt tempus Animationis.* Tertiò, *Incertum eſt tempus eiuſdem Natiuitatis.* Quartò, *Mundus innouabitur, non peribit in die vltima vltionis.* Singulas Propoſitiones eſſe moraliter euidentes affirmamus.

OBSERVATIO II.

Simile non agit in Simile.

ITA omnes Famigeratiſſimæ Scholæ. D. Thomas, Scotus, Ochamus, Beccanus, aliorúmque ſelectiſſimæ phalanges. 9

Hoc eſt veluti primum principium in Philoſophia vt loquitur Suarez *tom.* 1. *Metaphyſices diſp.* 18. *ſect.* 9. *n.* 7.

Expreſſiùs id docuit Ariſtoteles *lib.* 1. *de generatione cap.* 7. *text.* 46. & *text.* 48. *lib.* 1. *Phyſic. cap.* 9. & *lib.* 7. *text.* 35. *lib.* 3. & 8. *in principio.* Ratio autem eſt; quia nemo producit, quod productum inuenit. Experientia eſt, quia ignis non producit ignem in igne, ſed ignem in ligno. Vide *Obſeru.* 4. *Appen.* 23. *num.* 107.

OBSERVATIO III.

Incertum eſt tempus Animationis.

DEMONSTRATVR à ratione, & ab auctoritate. Incipiamus à ratione. Illud, quod euidenter, vel per 10

fidem Diuinam non constat, est incertum. Sed tempus ani-
mationis prolis euidenter, vel per fidem Diuinam non con-
stat, ergo est incertum. Consequentia est legitima. Maior
probatur; Quia non assignatur articulus fidei, nec demon-
stratio scientifica de tempore animationis. Nisi aduersariis hoc
reuelatum sit, quod non admittimus, nisi Ecclesia Romana
determinet.

11 Secunda ratio est, quia incertum est, an Anima sibi orga-
nizet materiam, an in organizatam introducatur: neutrum
enim Fides aut ratio manifesta definit: & vtrumque ha-
bet clarissimos & doctissimos propugnatores. Cæterùm, si
dicatur Anima rationalis non aduenire, nisi corpore organi-
zato, & disposito completè, cum non eodem tempore corpus
deorganizari possit in omnibus; Anima non potest eodem
tempore aduenire ad informandum corpus. Minor probatur,
quia non est eadem virtus organizatiua, sicuti nec eadem com-
plexio in omnibus fœminis. [Vide Exod. 21.]

Ab auctoritate. Quia illud, de quo Doctores maximi no-
12 minis dubitant, est dubium; sed de tempore animationis Au-
ctores maximi nominis dubitant, ergo est Dubium. Minor
probatur. quia aliqui volunt animari die 3. Alij die 30. alij 35.
alij 40 alij 42. alij 45. alij 60. alij 70. vel [illegible]0 & quod mirabi-
lius videri poterit, alij in ipsomet partu. Vnde nemo potest
negare incertum esse tempus animationis. Nam nemo allegat
certas rationes, sed tantùm probabiles aut veriùs dubias: &,
qui hoc negat, non distinguit scientiam, cui certitudo conue-
nit ab opinione: nec inter libros Priorum & Posteriorum.

Auctores sunt multi. Zacchias *tom. 2. qq. med. leg. libr. 9.*
13 *tit. 1. quæst vlt. num 90.* putat in primo conceptionis momento
Animam rationalem creari & infundi à Deo, vbi *à num. 114.*
respondet ad Canones & Iura, & primo ad Text. Exodi *c. 21.*
num. 22. vbi distinguitur fœtus animatus ab inanimato se-
cundum versionem septuaginta, quod illa fuerit gratis facta, cùm
in vulgatâ ita non sit. [N.B.]

14 Similiter ad Text. *in l. si quis aliquid § qui abortionis ff. de
pœnis*, quod ibi non fiat mentio de fœtu.

Secundò respondet; Canones & leges sequutos placita sa-
pientum

pientum Philoſophorum, ſicuti aliàs faciunt de iis, quæ ad alios Profeſſores pertinent; & ſecundum illa determinarunt pœnas; ita vt mitior ſit ante 40. dies, quàm poſt, quia maior iniuriá infertur poſt 40. dies, quàm ante: ſicuti, magis delinquit & iniuriam facit, adultam quàm tenellam ſuccidens arborem.

Cur autem Leuitici cap. 12. num. 4. quadraginta dies fuerint expectandi poſt partum pro tempore purificationis? Et 15
licet Cyrillus, Maldonatus, *ſuprà.* Conſentiúntque Conimbricenſes *de Anima cap.* 1. *quæſt.* 4. *art.* 2. id referant ad tempus, quo in vtero corpus affingitur; Tamen Cornelius à Lapide in dictum locum Leuit. *num.* 4 diſſentit, & amplectitur noſtram ſententiam, ex eo quia Læuinus Semnius *lib. de occultis naturæ cap.* 11. doceat, maris formationem abſolui aliquando die 30. aliquando 40. quandóque 35. nunc 45. Et in fœmina 35. die, & quandóque 40. 45. & 50.

Vnde Cornelius ait in dictum locum Leuit. ſpectari ſecundum aliquos, non animationis, ſed tempus motus, quo ſe fœtus in vtero prodit. Ex Ariſt. 7. *de hiſt. animal. cap.* 3. Et conſentit Zacchias *ſuprà, num.* 119. Licèt ipſe Cornelius dicat, ex libero Dei iubentis beneplacito, Leuit. legem ſancitam.

Idem Zacchias *tom.* 1 *quæſt. Medico-Legalium lib.* 1. *tit.* 2. *quæſt.* 9. *num.* 2. aſſerit de tempore animationis eſſe toto Cœlo inter ſe diſſidentes opiniones, & citat Hypocr. Ariſt. Et Mercur. docet ſeptimo die aduenire animam.

Paulus *in l. ſuum hæredem num.* 2. *ff. de acquirenda hæreditate*, quem ſequitur Cancheran *dec. pedem.* 59. *num.* 3 volunt 16
maſculum & fœminam 40. die animari.

Alij volunt animari non ante tertium quartumque menſem, quo tempore conſummata ſunt atque abſoluta, Cor, 17
Cerebrum, Iecur. Ita Ocha dictus Angelicus. Fernelius & Amatus Luſitanus, infra in ſequentibus citandi, quod non ſequendum.

Andreas Laurentius 8. *Anatomes quæſt.* 19. dicit, ſolùm 18
Deum infundentem animam, certò ſcire, quo die infundatur, quæ verba reponit & propugnat P. Petrus Hurtadus: Et tamen meus cæteroquin Amiciſſimus, non dicam aduerſarius, ait,

certum esse animationis tempus. Et non timet se inurendum aliqua notâ, dum contra omnes, in re, quæ neque ad ipsum spectat, insurgit.

19 Arriaga *disp.1. de generat. sect.6. in fine*, ait. [Fusissimè hic de partibus, quæ primò formantur in generatione humanâ, tractari solet; Item de numero dierum, quibus disponitur materia ad animam rationalem. Sed quia in istis omnibus ferè nihil, nisi diuinando, dici potest, nec ratione naturali, aut experientiâ certâ aliquid euinci potest; ideò eis omnibus supersedebo.] En acutissimus hic Auctor ad literam, nostram sententiam docet. Et tamen hac nostrâ tempestate inuenitur, qui hanc sententiam reprobet, & suam diuinationem certitudinem appellet.

20 Suarez *de Religione tom.1. lib.2. cap.11. num.11.* sic scribit. Ferè tam incertum est punctum Natiuitatis, sicut & conceptionis; quamuis confuso modo magis constare possit de tempore, die & horâ natiuitatis, quàm conceptionis.]

Sanchez *tom.1. Decalogi lib.2. cap.38. num.29.* Loquens de puncto animationis fœtûs in vtero scribit. [Hoc autem punctum est scitu impossibile.] Laus nunc Deo. Habemus nos; qui cognoscat, quod alij omnes dicunt impossibile, vt cognoscatur, ita vt tanquam Deus, aliis impossibilia, ei solùm sint possibilia.

Farinacius. [Quando verò fœtus in vtero dicatur animatus, vel inanimatus diuersæ fuerunt Doctorum sententiæ. Aliqui enim dixerunt animatum dici fœtum, post 40. dies, alij post 30. Alij 35. alij etiam post sexaginta, alij post 80. Alij demum, hoc naturalibus Philosophis dicendum reliquerunt, prout has & alias Doctorum opiniones videre poteris apud Gloss. *in l. Diuus, verb. exilium*, & ibi Alber. in primis verbis Bart. Angel. & alios, *ff. de extraordinariis criminibus.* Alber. *in l. si mulierem*, in principio, & ibi etiam Marsil: *num.2. ff. ad l. Corneliam de Sicar.* Alber. *in parte 3. stat. quæst.59. num.8. & 9.* Iacob. Butrius *in l. si quis necandi*, & ibi etiam Alberic. & Salic. *C. ad l. Cornel. de Sicar.* Felin. Anan. & alios, in *cap. si aliquis, extra de homicidio*, Iacob. Boulen. *in repet. l. capitalium, §. famosos, num.205. ff. de pœnis.* Ghirland. *in tractat. de*

Sortileg.

Sortileg. quæst. 13. vbi latè Iodoc. *in practica criminali, causa* 74. *rubr. de homicid. per venen. num.* 15. Anton Gomez *de delict. cap.* 3. *in rubrica de homicid. post num.* 35. *vers. & talis anima rationalis*. Pet. à Plach. *in epit. delicto lib.*1. *cap.*9. *n.*7. & 8. *decis. pedem.*60. *num.*4 Menoch. *de arbitr. qq. lib.*2. *casu* 357. *num.*3 Decian. *in tract. crim. lib.* 9. *cap.* 8. *num.* 13. Thesaurus *dec. pedem.* 12. *sub num.*11. Viuius *decis.* 83. *num.*1. & *sequent.* vbi bene Ioan. Harpprechti *in* §. *item lex Cornelia de Sicar. num* 20. & pluribus sequentibus Init. de publicis Iudic. vbi præcipuè disputat. An Fœtus statim atque in vtero cum semine conceptus est dicatur Animatus. Iacob. Ayrer. *in tract. de homicid. in præfat. rubr. de triplici genere homicidij, num.*108. *ad l. vt vim, ff. de Iust. & Iure*, vbi refert quatuor opiniones. Iacob Graffiis *dec.*93. *n.*3. *lib.*2.

Et inter Doctorum tot dissentiones communiter approbata videtur sententia Gloss. *in d. l. Diuus, ff. de extraordinariis crimin.* quod videlicet post 40. dies fœtus dicatur animatus, provt testantur Iodoch. Ghirlan. Pet. à Plach. Dec. Ant. Gomez, & Viu. *in locis præallegatis.* 21

Sic in fœmineo fœtu, quando anima dicatur infusa Doctores non fixerunt pedes. Alij enim dixerunt post 40. dies, alij post 60. alij post 80. & alij post 90. & alij aliter existimarunt, & videre est apud Ang. *in d. l. Diuus, ff de extraord. crimin.* Felinum *in cap. si aliquis in fine extra de homicid.* & ibi etiam Anan. *post num.* 1. *versic. Angel. verò* Alberic. *in* 3. *parte statu, quæst.*59. *num.*8. & *num* 9 *vers. quadam Glos. pract.* Montel. *parte* 4. *num.* 666. *fol.*238. Petr. à Plach, *in epit. delict. lib.* 1. *cap.*9. *num.*7. & *sequent.* Thesaur. *dec. pedem.*11 *sub num.*12. Ant. Gomez *de delict. cap.*3. *in rubricâ de homicid. post n.*232. *vers. Et talis Anima*, vbi de communi Iacob. Ayrer *in tract. de homicid. in præfat. rubr. de triplici genere homicidij n.*108. *versic. Alij putant ad l. ait vim, ff. de Iustitia & Iure.* Iacob. de Graffiis *decis.* 6 *n.*31. *lib.*2. 22

Et quod in fœmineo fœtu infundatur anima post dies 80. iuxta opinionem Glos. *in cap. in summa d.* 5 videtur magis communiter receptum, testib. Pet. à Plach. *vbi suprà, d. cap.*9. *num.*8. & *cap.*26. *num.*8. *vers. Etenim fœtus dicitur animatus,* 23

fol.

fol. mihi 445. Viu. *d. dec.* 82. *sub num.* 1. *& seq.* Etsi Ant. Gom. in loco præcitato testatur de Communi post 90. dies.

Sic Farinacius *tom.* 4. *de homicid. quæst.* 122. *part.* 6. *à n.* 139. vbi non aliud, quàm incertitudinem inspicis, Doctorúmque varietates.

24 Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. *num.* 65. sic ait. [Petes, quando Proles animatur Anima rationali. Resp. Couar. putat, mares animari die 40. à conceptu; fœminas 80. & ita communiter sentire Doctores. Sed nulla videtur ratio, cur tanta sit discrepantia inter marem, & fœminam. Itaque verius est vtrumque fœtum animari simul atque fuerit formatus. Nam, *Exodi* 21. *iuxta versionem* 70. dicitur: *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus: dabit animam pro animâ: si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia*, vbi apertè insinuatur fœtum habere animam simul ac formatus fuerit. Idem docent Medici. Quoto autem die formatio absoluatur, docet Leuinus Lænnius *cap.* 11. citans Hyppocr. *l. de naturâ fœtus*, maris formationem absolui aliquando die 30. aliquando 35. aliquando 45. nunc 50. Verùm Hyppocr. id non docet; nam *lib. de natura fœtus*, *n.* 10. dicit masculum, vt longissimè 30. diebus formari fœminæ, vt longissimè 42. diebus. Idque duobus locis eodem lib. repetit, & probat ex purgatione, quæ post masculi partum, durat diebus 30. post fœminæ 42. vt diutissimè] Hucusque Lessius. Idem, ex Hyppocrate, veluti eisdem verbis, docet Mazzuucellus *de casibus reseruatis disp.* 2. *cap.* 3. *diffic.* 1. *n.* 20.

25 Fienus *libr. de vi formatrice fœtus*, edito anno 1620. *q.* 8. *concl.* 11. ait tertio die à conceptione seminis ab Animâ rationali informari fœtum.

Aristot. *lib.* 7. *de Animal. cap.* 3. Plinius *lib.* 7. *cap.* 6. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. & alij putant, mares animari die 40. mulieres 80 & quandóque 90. consentit Diana, *part.* 7. *tr.* 5. *resol.* 6. Riccius *in praxi resol.* 69. *num.* 1. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centuria* 4 *casu* 356. *num.* 2. Closs. *in Clement. vnica de summa Trinit.* Cyrillus *lib.* 5. *de adorat.* Maldonatus *Lucæ* 2. *num.* 22. Conimbr. *de Anima*, qui tamen asserunt discordare Doctores.

Decisio

Decisio Pedemontana 59. *num.* 4. die 14. à conceptione 26
formari autumat. Vbi ergo certitudo inter tot diuersas, & inter se oppositas sententias?

Nostræ sententiæ est etiam Caramuël. *Theol. fundam. à n.* 1611. *&* 1627. *§. Hinc venio.*

Victus ratiocinio Antagonista noster dixit, hinc sequi, tem- 27
pus irregularitatis esse incertum. Sed tanto Viro indigna fuga. Si vides, quòd hæc conclusio sequitur ex claris præmissis. Quare formidas? Si consequentia claudicat, quare infers?

Sed propiùs insto, & peto assignari Canonem, in quo sit taxatum animationis tempus. Si non habes (vt reuerà non est) cur me retardas. Et, si assignare te putas; ergo ex meâ sententiâ non sequitur incertum esse tempus irregularitatis; cum, à Iure, iam sit præfixum.

Nec dicas, quod procurans abortum semper esset in dubio 28
de homicidio, & sic irregularis, iuxta *Text. in cap. ad Audientiam*, & *cap. significasti de homicid.* nam quidquid sit de intellectu d. Text. de quo ego alibi: tamen ibi tantùm asseritur esse irregularem, quando constat occisum esse hominem viuum, & dubitatur de occisore; quod cum pœnale, non extendendum ad casum nostrum omninò diuersum, in quo de homic. non constat. Et, cùm animatio sit facti, quod in dubio non præsumitur, consequenter puto, nunquam in re nostrâ præsumendum homicidum, nec irregularem, quousque certum sit fœtum animatum. Vide *infrà obseru.* 4. *append.* 52. *num.*

Et, in dubio de abortu, non esse quem irregularem, docet Mechadus *tom.* 1. *lib.* 2. *part.* 3. *doc.* 10. *num.* 3. Thesaurus *part.* 1. *cap.* 16. Moura Præpos. & alij apud Dianam *part.* 4. *tractat.* 2. *resol.* 16. & dicta Iura 22. loquuntur, non quando est tantùm dubium, sed quando est præsumptio contra vulnerantes; nam sic proceditur ad pœnas, postquam constat de corpore delicti, *l. primo §. item illud sciendum, ff. ad sillan.* Osast. *dec. ped.* 42. Menoch. *de arbitr. casu* 452. *num.* 20. Quaranta *v. abortus, §. nota per hanc.* Vide *obser.* 4. *num.* 136.

Ad rem, audias nunc, &, si oblitus, ad memoriam reuoca? 29
Vnum in Iure certum, scilicet irregularitatem incurri, quotiescumque procuratur abortus fœtûs animati, *cap. sicut*, ibi,

si nondum erat viuificatus conceptus, ministrare poterit, alioquin debet ab Altaris officio abstinere, 20. de homicid. cap. quod verò, cap. Moyses 32. quæst. 2. Felinus *in cap. sicut, num. 2. de homicid.* Glos. *in cap. si quis. v. Sed non est irregularis de homicidio.*

Certum ergo solùm est, irregularitatem contrahi ab illo, qui in effectu procurat abortum fœtûs animati.

Cæterùm nullus est Auctor, qui sentiat pro tali tempore tantùm contrahi irregularitatem; sed hoc relictum est probabilitatibus Doctorum, & Diana ait, se, ne ingerat scrupulos, dicere, contrahi per abortum post 40.

330 Expende igitur omnia ista diligenter, & disces; an hæc mea sententia sit absona, temeraria, & in animarum laqueum: cui, sicut & sequenti, nomen dant in studio Regio Neapolitano Doctissimi Viri, à me de hac re consulti. Pignatarus, Thomas Cornelius, cum Corbiserio, Bagatto, Vicellione, &c.

Ex dictis constat, obstetrices semper teneri baptizare infantem abortiuum; cùm possit esse animatus; sed quando de animatione dubitant, sub conditione; quia prodesse, non obesse hoc potest.

OBSERVATIO IV.

Tempus Natiuitatis incertum.

331 PATET experientiâ: nam dantur septimestres, & in Regno viuunt: Octimestres, & viuunt in Hispaniâ. Alij regulariter nono mense nascuntur. Et Salomon decimo mense natus fuit: *Sapientiæ 7. in principio*, ibi. *Decem mensium coagulatus sum in sanguine.* Alij sunt nati mense vndecimo, & experientiâ duce; Alij mense quarto decimo.

Auctores pro hac sententia sunt ferè omnes Medici; Hyppocr. Galen. Sanctorel. & alij, quorum do Auctoritates infrà.

332 Ratio id probat, quia non nascitur, nisi sit perfectè organizatus. Quæ deorganizatio non potest fieri eodem tempore,

cùm

cùm non ſint eiuſdem complexionis omnes Matres. Accipe nunc Auctores, vt deſinas amplius mirari, quando aliqua profero.

Paulus Zacchias Protomedicus Status Eccleſiaſtici. *Quæſtionum Medico-Legalium tom. 1. editione Lugdunenſi anno* 1661. *lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 1. ſic ſcribit. [Inualuit apud cunctos, non doctos ſolùm, ſed etiam viles tonſores, huiuſmodi opinio; quod homo, non vt cætera animalia, præfixum quemdam terminum naſcendi à natura habeat; ſed varium ac multiplicem, ita vt & ſeptimo, & octauo, & nono, & decimo & vndecimo menſe oriatur.] Et *n.* 5. ſic ait. [Iam ergo ea concluſio omnibus vndequaq; acceptiſſima, ab omnibus quaſi pro indemonſtrabili, & axiomate quodam habetur, & à quibuſcumque doctis Viris, ad ſuas aſſertiones roborandas, ad problemata enodanda, ad dubitationes declarandas, pro fundamento reali id præcipuè conſiderationis adducitur; &, ne omnium nomina hic congeram, ſatis ſit recentiores aliquos adduxiſſe. Amat. Luſit. *centur.* 1. *curat.* 27. Ioubert. *lib.* 3. *error.* 33
popul. cap. 2. Mercurial. *de morb. Mul. lib.* 2. *cap.* 1. *in principio.* 34
Andreas Laurent. Anotom. *lib.* 8. *cap.* 30. Mercur. *in lib. della Commare, lib.* 1. *cap.* 70. Codronc. *in method. teſtif. cap.* 14. Roderic *in canſtr. de nat. mul. lib.* 4 *cap.* 1. pleniſſimè Nancel. *in Analog. Microc. ad Macroc. lib.* 7. *p.* 4. Sed omnium prædictorum luculentiſſimè eam ſententiam expoſuit, & tuetur Horat. Augen. *in lib. ad hanc ipſam rem dicato*: nimirùm quod homini non ſit certum naſcendi tempus.]

Pro Iureconſultis ſatis ſit auctoritas Rotæ in Auximana alimentorum 1. Iunij 1620. coram Pirouano *num.* 7. Hi omnes inquam, cum aliis pene infinitis quos nominare non intereſt, & eam concluſionem firmant, & plures rationes in eius fauorem adducunt. Pro diuerſitate enim temperamentorum, diuerſa ſunt naſcendi tempora. Nam calidi citiùs perficiuntur quàm frigidi. Hinc maſculi, quia fœminis calidiores, citiùs naſcuntur. Gloſſ. *in l. idem erit, ff. de ſtatu hominum.* Augen. *lib.* 1. *de partu hom.* 35 36

Eiuſdem opinionis eſt Ariſt. *lib.* 4. *de gener. animal. cap.* 7. 37
& Problem. ſect. 30. Auer. *Paraph.* 4. *de gener. animal. cap.* 7.

Et docuit, diuino beneficio, omnium Magiſter Hypp. *de dieta in principio.*

38 Et vt euidentiſſimè expendas rem omninò eſſe in Ancipiti. Naſcitur homo vitalis 5. menſe Torreblanca *lib. 2. Dæmonol. cap.43. num.16.* Valleſi *2. Epid.3.com.25.* & S. Crux.

39 Natum 3.& 4.menſe vt legitimum ad ſucceſſiones admiſit Concenat. *ſingul.94.num.4.lib.2.* Et Eſdræ *4.cap.6.num.21.* ibi, *Parient infantes trium aut quatuor menſium.*

40 Partum quinque & ſex menſium viuere, & aliquos ad adultam ætatem peruenire docet Sanchez *lib.4. obſeru. var. tit. de partu.* Augenius *lib. 1. de partu hom.* Valles *de ſacrâ Philoſophiâ c.18.* Auicen. *lib.1.de Animâ cap.vlt.* Cardanus *Contrad. Med.lib.1.tract.3.contrad.8.*

41 Scio tamen Hyppoc. *lib. de car. & ſept. par.* Ariſt. *lib.7.de hiſt. animal. cap.7.* Plinium *hiſtoria nat. lib. 7. cap. 5.* Paulum *in l. Vxoris abortu, num. 3. ff. de hæred. poſth. inſt.* Cagnolum, & alios velle neminem eſſe legitimum, aut viúere poſſe ante menſem ſeptimum, ita vt ſit ita ac non natus; quia fuiſſe non dicitur, qui parum ſtetit. Gloſſ *in cap. nam & ego, de verb.*
42 *ſignif.* Et non naſci, aut natum mori paria ſunt, *§. dubitatum. Autent. de inceſtis nuptiis.* Et qui viuere non poteſt, eſt, ac mortuus. Afflic. *dec. 236. num.4.* Aſſerunt tamen ſeptimo menſe perfectum eſſe, *l. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu hom.* Hypp. *lib. de carnibus num.22.* Calamant. *in lib. 2. Galeni de dieb. decret.*
43 Fidel. tamen, *lib.3. de relat. med cap.4.* Zacchias *ſuprà, n.2. quæſt. 3. num.7.* Volunt fœtum octimeſtrem naſci præternaturaliter. Vt vel hinc videas in hac re ſolùm certam incertitudinem.

44 Octauo menſe partum viuere non poſſe voluit Hypp. *lib. de carnib. in fine, & lib. de octim. part. in principio.* Ariſt. *7. de hiſt. animal. cap 4.* Plinius *lib. 7. hiſtor. cap.7.* Auicenna, Alciatus, Tiraquellus, Afflic. & alij. Sed magis vitalem octimeſtrem, quàm ſeptimeſtrem, voluit Cardanus, quem ſequitur Zacch. *q. 4. n.38.* putans aliquando viuere licèt difficiliùs,
45 quam ſeptimeſtrem, quia cùm grandior diuturniùs cum morbis luctatur, & à poſteriori maiori angitur afflictione, dum non reſiſtit, ſed proijcitur. Et Santarellus noſter *lib.5. de ſan-*

*nat. cap.*16. refert, cuiuſdam inſignis fœminæ partus omnes octimeſtres vitales fuiſſe.

Nono menſe, vt plurimum naſcuntur ſecundum Ariſt. *ſuprà*, facit Eſdræ 4. *cap.*5. *num.* 40. Ibi, *Si quando impleuit nouem menſes.* Et *cap. vlt. Cùm parit in nono menſe filium ſuum.* Et Sapientiæ 7. aſſignatur etiam decimus menſis. Plato 5. *de Republ.* vult, vt plurimum naſci decimo menſe, conſentit Ariſt. *ſuprà*, Zacchias *ſuprà, quæſt.*5.*num.*20 poſt Cardanum, Tiraquellum, & alios, qui ex computo ab 8. Kal. Aprilis ad 8. Kal. Ianuarij, & à 6. Idus Decembris ad 8. Idus Octobris qui ſunt dies 275. & 276. Aſſerit Chriſtum natum decimo menſe, ſicut etiam natus fuit Salomon, Hercules, Cæſar Auguſtus. Suetonius *in eius vita cap.* 94. & decimum menſem eſſe legitimum naſcendi tempus, eſt Text. *in l. Gallus*, vbi Bart. *num.* 12 Alex. *num.*21.*ff. de liberis*, *& poſth.* Paulus *in l. fin. num.*2.*C. de poſth. hæred. inſt.* Cagnolus *ſuprà num.*282.*in l.*1.*ff. ſi certum petatur.* V. Text. *in* §. *vnum ſiquidem* V. *mulier*, *Auten. de reſtit. & ea quæ par.* Et Virgilius inquit. 46 47 48

Matri, longa decem, tulerunt faſtidia, menſes.

Auicenna 21. 3. dixit, *decimeſtrem, vndecimeſtrem, duodecimeſtrem, tredecimeſtrem, quatuordecimeſtrem omnes viuere.* 49
Plinius quoque decimi tertij menſis tradit exemplum *lib.* 7. *nat. hiſt. cap.*5. in hæc verba. *Maſſurius Auctor eſt L. Papirium Prætorem ſecundo hærede lege agente bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe; cùm mater partum ſe tredecim menſibus tuliſſe diceret, quando nullum certum tempus pariendi ſtatutum videatur.* Quod exemplum verum & poſſibile approbare dignoſcitur Auguſtinus Sueſſenus *cap.*4. *lib.*7. *de Hiſt. animal.* Et Adrianus Imperator (vt eſt apud Aulum Gellium *lib.*3. *noctium atticarum cap.* 16.) decretum tulit, in quo, veterum Philoſophorum & Medicorum ſententiis innixus, vndecimum partum legitimum, ac legalem eſſe teſtatur. Mulierémque honeſtam Romæ, quæ vndecimo menſe poſt mortem viri filium peperit, infamia liberauit, hæreditate filio permiſsâ. 50 51 52

Ariſt. 11. *ſect. prolem.* 42. hæc habet [Et cùm cætera animalia omnia ſingulari ac ſimplici modo, partum ſuum perficiant, (vnum enim pariendi tempus conſtitutum omnibus eſt) 53

54 homini vni multiplex datum; nam & ſeptimo & octauo & nono parere poteſt, & quod plurimum eſt, decimo nonnullæ, etiam vndecimo tangunt.]

Si mea ſententia eſt tot virorum doctrina præſtantiſſimorum, ne quæſo me perturbes.

55 Rota Romana in vna Auximana Alimentorum 1. Iunij 1620. coram Pirouano, *num.* 10. ibi, homini non ſit præſtitum certum tempus pariendi, quod non improbant ſupradicti auctores, & *num.* 21. *v. ſi verò* de tempore.

56 Guilielmus Harueus. *De generatione animalium cap. de partu*, §. *tempora*, ſic ſcribit. [Tempora ferendi vteri ab Ariſtotele *de gen. anim. lib.* 4. *cap.* 4. *& vlt.* varia cenſentur. Certa (inquit) cuique, & animalium ſunt magna quidem ex parte pro vitæ ſpatio; Viuaciorum enim generationes diuturniores
57 eſſe neceſſe eſt Homini ſoli tempus ferendi vteri enorme eſt. Cæteris enim vnum eſt tempus. Homini verò plura ſunt. Quippe & ſeptimo menſe & decimo naſcitur, atque etiam inter ſeptimum & decimum poſitis: qui enim menſe octauo naſcuntur; etſi minus, tamen viuere poſſunt.] Hæc ex Ariſt. ad verbum Harueus.

58 Et §. *Franciſcus Valeſius*, ſubdit. [Valeſius quinquemeſtrem puellam refert ſuo tempore duodecimum ætatis annum ingreſſam fuiſſe. Adrianus Spigelius *in Epiſtolâ de incerto tem-*
59 *pore partûs*, Tabellarij cuiuſdam meminit, qui, vrbis Medioburgenſis teſtimonio publico omnibus commonſtrabat; ſe ſexti menſis initio editum.] Et deinde ſubdit. [Fuit profectò non ita pridem apud nos mulier, quæ fœtum in vtero ſexdecim ampliùs menſibus geſſit, eumque vltra decem menſes (pluribus eius rei conſciis) huc illuc, variè ſeſe commouentem ſenſit, tandémque virum peperit.]

Et relictis aliis Doctoribus, quorum noſtra ætas eſt feraciſſima, pro coronide audias D. Ambroſium *lib.* 5. *Hexameron cap.* 10. aientem. *Omnes Animantes præſcripta habent pariendi tempora; Homo ſolus indiſcreta atque confuſa.*

Quid ergo ad hæc? Quid! ex abditiſſimo arcano ſuæ adeò altiſſimæ, vt prorſus omnibus aliis ſit inuiſibilis ſapientia? Flammis fortè deuouenda curabit, aut perpetuis tenebris ſepelienda

pelienda tantorum virorum monumenta? sed istis supersedendum, & ad Iuristas dirigatur vtiliùs sermo.

APPENDICES IVRIDICÆ. DE POSTHVMIS STATIS à natura, in regularibus temporibus, aut secto ventre natis.

APPENDIX I.

Quisnam sit abortus?

EXCLVDITVR abortus à successione, *l. vxoris abortu, C. de posth. hæred. inst.* Hinc Iuristis gratum erit, in tantâ rerum incertitudine, indagare, quis dicatur abortus, vt cognoscatur, quando excludatur à successione. Ante animationem aborsus, post abortus est. Sanch. Calepinus, & alij dicitur à ly *Ab*, & *ortus*, quasi non, aut frustra, ortus, sicut absens, est non præsens. Abortus est quilibet natus extra ordinarium tempus, licèt per horam. Trotula *de pass. mul. cap.* 38. 60

Propriè abortus est eiectus, vel mortuus, vel impotens omninò ad viuendum. Nicolaus Flor. *ser. 6. de membr. generat. tractat. 3. cap. 16. de abortu.* Zacch. *tom. 1. qq. Med-Legal. lib. 1. tit. 2. quæst. 10.* 61

Appendix II.

An abortus succedat?

62 QVi natura vitalis, indistinctè est successionis capax. Peregrin. *de Fideicommiss. artic.43.num.30. verbo. Et nouissimè.*

63 Si abortus largè sumatur succedit, *l. quod dicitur, ff. de lib. & posth.* vbi, *natus secto ventre succedit.* Si abortus propriè sumatur, non succedit. *l. Vxoris abortu, C.de posth. hæred. inst.* Quia pro non nato habetur, qui statim decessit, &, de mo-
64 mento temporis non curatur, *l.si quis ita legauerit, ff. de cond. & demonst. l. Præsens, ff. de proc. Cap. sicut tibi de consecr. dist.5.* Bald. *in l.si Pater, §. vlt. C. de inst. & subst.* Ioan. Andreas *in cap. ex parte de Cler. non residentibus*; Vbi. *Non sufficit ad euitandam pœnam, aut contumaciam, venire & sta-*
65 *tim abire*, Angel. *consil.* 270. ibi. *Nec dicitur venisse, qui statim abiit.* Ita, *cap. 1. de Iudiciis, l. ex facto, ff. de hæred. inst. l. seruis vrbanis, ff. de leg. 3.* potest addi illud, Iob cap. 10. *Fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum.*
66 Abortus ergo non succedit aut Matri aut Patri; nec mirum; nam lex, quæ naturam imitatur, non fauet illis, quos natura reijcit, *§. Minorem inst. de adoptionibus.*

Appendix III.

An natus sexto vel octauo mense sit propriè abortus aut succedat?

67 AFfirmant Afflic. *dec.236.* Franciscus Guerra *consil. decisiuo num.84. & 92.* Curtius *consil. 326.* Menoch. *de arbitr. lib.2. casu 89. num.39.* Mantica *de coniecturis lib. 11. tit.6. num.10.* Clarus *§. Testamentum quæst.45.n.3.* Soccinus Senior.

in

in l. cum Auus, ff. de cond. & demonst. Alex, & Iason *in l. quod dicitur, ff. de lib. & posth.* Grammatic. *consil.* 154. *ciuili.* Crauetta *consil.* 210. *num.* 5. Soccinus Iunior *consil.* 35. *n.* 12. *vol.* 2. Decius *in l. Posthumo col.* 3. *C. de boni poss. contra Tabulas* Arist. 7. *de histor. animal. cap.* 3. Auuic. 21. 3. *tract.* 2. *cap.* 1. Cælius *lib.* 22. *lect. antiq. cap.* 18. Plutarchus *lib.* 1. *de plac. phil. cap.* 18.

Sed negant Baldus *consil.* 407. *in fine*, & *consil.* 100. *lib.* 3. & 128. Corneus *in l. quod certatum, C. de posth. hæred. inst.* Decius *consil.* 623. *num.* 3. vbi, hanc opinionem dixit veriorem de partu octimestri, contra Paulum de Castro: Et de sexto & octauo mense. Cepolla *consil.* 50. *ciuili.* Parisius 14⁵. *vol.* 4. Boërius *dec.* 220. Felyn. *in cap. sicut ex tuarum in fide de homic.* Roland. *consil.* 56. *num.* 11. *lib.* 3. Bursat. *consil.* 63. *num.* 19. Sforzia Odo, & alij, quos citat & sequitur Peregr. *de fideicom. art.* 43. *num.* 29. Angelus *in d. l. quod dicitur*, Corneus *in l. pen. C de hæred. posth. inst.* 68

Quæ opinio nobis placet, maximè de partu octimestri; quia, vt supra dictum est, isti sunt magis vitales, quàm septimestres. Sed septimestres non sunt abortiui, *l. septimo mense, ff. de statu hominum*; ergo nec octimestres. Et istos vitales esse, docet experientia. Auctore Plinio *lib.* 7. *nat. hist. cap.* 5. vbi testatur, in Italiâ viuere. Et hodie Neapoli viuit, me teste, atque vixerunt, docente Sanctarello. Vnde negauit istos abortiuos esse, Zacchia *suprà q.* 10. *num.* 16. Card. *Contrad. medic. lib.* 1. *contrad.* 8. *tract.* 3. *in fine.* Augen. *de part. hum. lib.* 2. *cap.* 16. And. Laur. *Anotom. lib.* 8. *quæst.* 26. & 30. Bonauentura *lib.* 1. & 2. *de octim. par.* Probus & Diocles apud Tiraquel. *num.* 210. 70
Ratio etiam id suadet; Quia quanto magis accedit ad tempus natiuitati debitum, eò magis partus est perfectus. At magis accedit octimestris, quàm septimestris. Ergo. Octimestres, ergo fœderatos cum vita, nec semper infortunatos, aut minimè perennaturos, pertendit ratio. Et ita post Turaminum *in Epist. Academ.* ad successionem octimestres admittit doctissimus Cusanus. Vide Menoch. *lib.* 4. *præsum.* 89. *num.* 111. vbi alios citat in fine.

Appendix IV.

Quâ ex causâ Octimestris difficiliùs viuat quàm Septimestris?

71 Conducit præsens discussio ad cognoscendum, an sit ex se viuere potens viuens octimestris. Hinc, non est extra institutum hoc indicare curiosis, Zacchia id refundit in maiori quantitate molis, quæ difficiliùs nascitur in octimestri; & consequenter, plures experta angustias & passiones in natiuitate, succumbit. Quod mihi non placet; Quia, si magis pa-
72 titur quàm septimestris, est etiam septimestri robustior. Fateor, mortem tribui posse morbificis qualitatibus, quæ à posteriori cognoscuntur, in octimestri plures esse, quàm in partu septimestri. Nam experientiæ debemus, non solùm filios, sed etiam matres in octimestri puerperio perire frequenter, non in septimestri. Non ergo perit octimestris, quia est abortus; sed quia morbis grauiter afficitur, quibus mater etiam aliquando perditur.

73 Dat aliam rationem Zacchia, sobolem scilicet, septimo mense se mouentem, & ligaturas, quibus vtero tenetur, disrumpentem, indicare robustiorem esse, quàm sit soboles quæ octauo mense mouetur; & sic, quia robustior, faciliùs viuere.
74 Sed displicet, quia, ipso docente, octauo mense est vitalior. Et, si tunc mouetur, signum est, vires sufficientes ad motum accessisse.

75 Alij recurrunt ad sydera, & volunt per singulos menses planetam dominari. Dant primo mensi Saturnum, Iouem assignant secundo: tertio mensi volunt dominari Martem. Solem quarto, quinto Venerem, Mercurium sexto, Lunam septimo. Hinc dictam Lucinam, quia frequenter in hoc septimo mense puer nascitur. Deinde in octauo mense redit Saturnus infaustus satis planeta, filiorum deuorator. Deinde succedit Iuppiter. Sed cur Saturnus non occidit in primo, vt occidit in octauo, quando infans est validior. Quis distribuit

aut

aut reuelauit Astrologis planetas, sic dominari vitæ, vt per menses illam moderentur, regant & perdant. O quot diuinationes? Vide Picum Mirandulæ *lib. 3. contra Astrolog. cap. 17.* Et nos persistamus in dicta ratione à posteriori scilicet quod vi morbi pereat.

Auicenna 21. *tertij* 3. Petrus Aponensis *lib. 8. problem. c* 41. 76
Albert. Magn. *lib. 10. de animal. tract. 2. cap.* 4. explicant, quia septimo mense fœtus colluctatur, vt exeat ex vtero, & sic fatigatus, debilitatur. Quod si exitum moliatur in octauo mense, nouo labore pressus, languet, & natus succumbit; aut
difficilius viuit. Quæ ratio ostendit octimestrem ex se vita- 77
lem; cum contendit ad vitam extra vterum, licet, illis perpessus colluctationibus, veluti morbo, cedat. Insuper non constat, exitum in 7. & 8. mense infantem quærere: cum alij velint moueri in 8. qui non fuit motus in 7. mense. Vnde vides, hanc diuinationem, esse.

APPENDIX V.

An octimestris succedat Matri?

OMnes illi, qui docent esse abortum, negant maximè 78
Affl. *dec.* 239. vbi filius octimestris mortuus post mortem, ei non successit, nec Pater tali filio in dotibus Alciat. *in l. qui mortui, ff. de verb. sign.* Marcus *dec. 68. n. 6. 2. p.*

Illi Doctores, quorum sententiam sequuti sumus, qui docent non esse abortum, volunt succedere, ita vt Boërius *dec.* 220. dixerit malè iudicatum apud Afflic. Et docent, satis esse puerum viuum nasci in orbem perfectè; subdúntque vi-
rum superstitem lucrari dotem; quia iura *in l. vxoris abortu*, 79
& *l. 3. C. de posth. hæred. instit.* tantum requirunt, & indistinctè, vt nascatur viuus; & hoc etiam, si secto ventre editus sit, *l. quod dicitur* 12. *ff. de lib. & posth. & l. intestato* 3. *§. Principem*, ibi. *Ad legitimam hæreditatem is, qui in vtero fuit admittetur si fuerit editus.* Ita, *ff. de suis & legitimis hæred.* vbi vides, aliud non requiri, quàm vt nascatur octimestris; ergo succedit;

Nam est vitalis; &, si vitalis non esset, nunquam viueret; quod
80 est contra experientiam. Accedit in tantâ Doctorum varietate, dubium esse octimestrem posse viuere: At in dubio, partus præsumitur maturus, licèt moriatur, *d. l. vxoris abortu*, *d. l. quod certatum*, *d. l. septimo mense*: vbi Bald. Decius, *in cap. Per tuas col. 2. de probat.* Pacienus *lib. 2. de probat. cap. 10. num. 4.*

APPENDIX VI.

An natus sexto mense succedat, aut faciat cessare fideicommissum?

81 NEgant communiter Alex. *in d. l. quod certatum.* Iason *in d. l quod dicitur.* Soccinus *in l. cùm Auus num. 10. ff. de cond. & demonst vol. 2. num. 20.* Decores *in l. Posthumo num. 4. C. de bonor. poss. contra Tab.* Tiraquellus *in l. si vnquam v. susceperit liberos num. 205.* Quia intempestiuè natus, ita vt viuere non possit, non dicitur natus, *l. septimo v. perfectum, ff. de statu homin. cap. nam, & ego de verb. signif.*

Oppositum docet Angelus *in d. l. quod dicitur.* Bald. *consil. 120. lib. 1. & lib. 5. consil. 113.* Stephan. Best. *consil. 117.* Felinus *in cap. sicut ex tuarum de homicid.* Et puto quod si filius nascatur perfectè organizatus cum ore, vnde possit alimentum ad Stomachum traijcere, quocumque tempore nascatur, semper vitalis est; nam habet principium vitæ, scilicet Animam,
82 & habet instrumenta ad vitam manutenendam. Nec aliud rationabiliter, potest exigi, vt natura vitalis. Vnde puto na-
83 tum sexto mense esse vitalem; licèt quandóque ex debilitate virtutis organizatiua, nec isto tempore sit perfectè formatus, & vitalis. Si ergo erit perfectè organizatus: quod sensu percipi poterit, etiam si vocem non emiserit, erit capax succes-
84 sionis, *l. qui testamento, §. 1. ff. de test.* & præteritus rumpit Testamentum, nam est integrum animal quod in re sufficit, *l. quod dicitur. 12. ibi, integrum animal; ff. de lib. & post.*

Nec

Nec dices, natum in ſexto menſe, non eſſe perfectum, *d.l.inteſtato, in fine, ff. de ſuis & leg. hæred.* Nam Text. nihil obſtat; cum ibi, hæc contineantur verba. *De eo vero, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt Hyppocr. ſcripſit, & D. Pius Pontificibus reſcripſit iuſto tempore videri natum.* Quod tempus eſt ſex menſium, & duorum dierum, & certè ibi non dicitur quod anteà natus, non ſit iuſto tempore natus. Nec valet argumentum, ibi, à contrario ſenſu. Quod in affirmatiuis claudicat. Vt ſi dicam; *Qui eſt homo, eſt animal, ergo qui non* 85
eſt homo, non eſt animal; conſequentia eſt mala; ſic in caſu, natus, ſeptimo menſe incœpto, non eſt iuſto tempore natus. Infertur enim, quod decimo menſe non eſſet iuſto tempore natus, contra Text. *in l.inteſtato* 3. mox citandum.

APPENDIX VII.

An natus menſe 10. 11. 12. 13. *&* 14. *ſit legitimus?*

Ex ſententiâ Vlpiani *in l. inteſtato* 3. *ff. de ſuis & legitimis*
hæred. Poſt decem menſes mortis natus, non admittetur 86
ad legitimam hæreditatem, vt ibi loquitur Text. quam ſententiam ſequutus fuit Imperator *in Auten. de reſtit.* & ea, quæ parit in vndecimo menſe 5. *fin.* & *in l.quidam* 4. *C. de poſt. hæ-*
red inſt. Vnde ſuccedit natus in decimo menſe, *l. fin.n.2. C. de* 87
poſth. hæred.inſt. Ca: l.1. ff. ſi certum petatur.

Sed putamus ſanctionem iſtam nixam fuiſſe in præſumptione; quod ſcil. impoſſibile ſit, naſci vndecimo menſe; at-
que adeò ceſſare debere, quando conſtat de Veritate, *l. fin. ff.* 88
quod metus cauſa, l. nuptura in fine, ff. de iure dotium, cap. ſi conſuetudine, & *cap. conſuetudo* 6. *diſt.* Cæphal. *Conſil.* 76. *num.* 33. *vol.* 1. Modò autem certum eſt, poſt decimum menſem, aliquos natos, & naſci poſſe, vt teſtantur peritiſſimi, & accuratiſſimi rerum naturalium obſeruatores Philoſophi, & Medici Plinius 7. *naturalis hiſt. cap.* 1. Concen. *qq. ſing. q.* 9.

89 *num.*8. Nicolaus Floren. *serm. 6. de membr. genit. tract. 3. c.9.* Arist. 7. *de hist. animalium cap.* 5. vbi narrat fœminas 14. mense gessisse vtero; &, vt verum nouissimè recepit Zacch. *suprà quæst.6. num.*4. Auuic *lib.9. de Animal.* vbi testatur decimo-quarto mense. Nec videtur dissentire Alciatus *lib.3. paradox. cap.*7. Ergo recedi posset ex præsumpta voluntate Imperatoris, à primâ sententia.

Secundò. Quia Imperator *in d. autent.* nititur in præsumptione fornicationis, vt iudicant illa verba Text (*Post decem menses mortis natus*) vbi requiritur, vt nascatur, mortuo viro post decem menses: & consequenter, quasi destituta custodia viri præsumitur fornicasse secus inutiliter Text. ibi exigeret
90 mortem mariti. Ex quo duo infero. primo. *Non excludi filium natum decimo & decimo quarto mense viuente viro, secundo nec excludi mortuo viro, si ex circumstantiis, honestate & pudicitia matris, excludatur præsumptio delicti*: nam tunc statur innocentiæ, quæ etiam in dubio præsumitur *cap. vnico de scrutinio*; ibi, *cum illum, quem indignum esse non nouit, dignum debeat existimare, l. merito, ff pro socio.* Decius *consil.* 400. Cæphal. *consil.* 272. *num.* 12. *volum.*2. Tiraquellus *tract. lignager.* §.4. Gloss. 1. *num.*1. Abb. *consil. vlt. in fine lib.*2 & quod
91 ibi Text. loquatur de filio nato ex fœmina, quæ malè oleat, patebit legenti. Hinc prudenter; æquitate dictante, Prætor L. Papyrius concessit bonorum possessionem 14. mense nato, contra hæredem teste Plinio 7. *hist. nat. cap.* 5. Nec temerè pronunciauit D. Adrianus, vndecimestrem legitimum, natum post mortem mariti, filium fœminæ, non ambiguæ pudicitiæ Teste Gellio *lib.*3. *noctium Atticarum cap.*16. Et nouissimè sic
92 seruatum in clarissima Natiuitate vndecimestri cuiusdam Principis; post varias medicorum, & iuristarum discussiones, fatetur Orbis Vniuersus. Nec mirum: nam, fœturam posse de-
93 cimum excedere mensem, cecinit Homerus de Neptuno qui puellam compresserat. Odysseæ 11. quod latinitati donauit Tiraquell. *suprà num.*210.

Nunc gaude dilecta; ast cum se euoluerit annus.
Illustres (neque enim Diuina cubilia vana)

Natos

Natos nixa dabit. Et Plautus in Cistellaria canit.
Decimo post mense exacto. hic peperit filiam.

His accedat Abraham Euenaste Astrologus *lib.* 1. *Natiuitatis*, docens vndecimo mense magis viuere.

Vltimò adeas Alciatum *lib.* 3. *paradox. cap.* 7. dicentem, legem Iustinianeam summo rigore statutam; subdítque vix videri posse rectam contra tot doctissimos viros, vnde adnotandum censeo, non fuisse mentem Imperatoris damnare, vt improbabilem sententiam Arist. & consequenter posset filius tantæ Scholæ probabilitate fretus, bona Patris capere. Et Iudex, quià rigore Iuris propter æquitatem, quandóque debet 94
recedere, *l. si seruum* 9. §. *sequitur*, ibi plerumque sub auctoritate Iuris scientiæ perniciosè erratur, *ff. de verb. oblig.* Cic. *lib.* 1. *offic.* ibi calumnia quædam, & nimis callida Iuris interpretatione, *l. placuit* 8. *C. de Iudiciis*, vbi æquitas præfertur rigori.

Appendix VIII.

An natus secto ventre sit abortus?

Illum propriè non esse posthumum, voluit Angel. *post. Glos.* 95
in l. Posthumus v. posse quæri, *ff. de inoffic. test.* de Benedictis *in cap. Raynutius*, *v. & soboles num.* 18. *de test. ex l. si ego* 13. §. *partus*, *v. ex omnibus*, *ff. de public. in rem action.*

Sed oppositum est decisum, *in l.* 1. §. *si qua prægnans*, *ff. vnde cognati*, *l. quod dicitur* 12. *ff. de lib. & posth.* ibi, *Natum accipe, si, ex secto ventre, editus sit: nam & hic rumpit testamentum.* Ita, *l.* 1. §. *sed, & si Matris ex secto ventre, filius editus sit magis dicendum est hunc quoque ad legitimam* 96
hæreditatem admitti, *ff. ad sen. cons. Tertyl.* Vnde ad feudum, & successiones isti Cæsares admittuntur Bald. *in l. vltima*, *v. vidi dubitari*, *C. de suis & leg.* vbi Paulus de certo Alex. & Iason. Alberic. *in l.* 1. *in fine*, *C. de lib. & posth.* nec obstat Text. *in d.* §. *partus*: nam ibi hæc habentur. *Idem est, & si ex parte*

partus

partus est, & si non natus, sed post mortem matris, exsecto ventre eius extractus est.

APPENDIX IX.

An ad hæreditatem isti admittantur?

97 EX dictis patet quod sic *l. 1. § si qua prægnans, ff. vnde cognati, vnde nihil enim interest, secto necne ventre nati sint.* Ita, *l. si ego 13. §. Partus Ancillæ, v. ex omnibus, ff. de Public. in rem actione.* Et, si ille, qui in vtero est, perinde, ac si in rebus humanis esset custoditur, quoties de commodo ipsius partus, quæritur. Vt loquitur Text. *in l. qui in vtero 7. & l. 26. ff de statu hom.* multo magis natus iam, licet exsecto ventre.

APPENDIX X.

An legatum relictum mulieri, aut nascituro, si liberos pariat, corruat, istis secto ventre extractis?

98 SI verbis stemus *parere* non est, quando quis exsecto ventre luce hac fruitur. Neque testator ad illa respexit, quæ rarò accidunt, *l. anniculus admittitur, §. vlt. de verb. sign.* ibi, *falsum est eam peperisse, cui mortuæ, filius exsectus est.* Bald. *in leg. Arethusa 15. in fine, ff. de statu hom.* Ruinus *in l. Gallus, §. & quid v. octauo, & vltimo quæro, ff. de lib. & posth.* & legatum matri non deberi docent Ruinus *in l. Gallus, §. & quid, si tantum, ff. de lib. & posth.* Alex. Iason Aretin. & alij, *in d. l. quod dicitur.*

Si instituatur venter. Scio Bald. *consil. 122. lib. 1.* Soccin. *in l. 1. col. 14. in octaua limitatione, ff. de vlg. & pupill.* Felinum *in cap. sicut ex literarum de homicid.* Alciat. *in d. l. anniculus, v. falsum.* Dec. *in l. qui prægnantem de reg. Iuris* aliosque plures velle,

velle, tenere institutionem ventris vxoris, si filium masculum pepererit; etiam si filius secto ventre nascatur matre mortuã. Ex eo, quia *dicitur peperisse decedens in puerperio.* Bald. *consil.* 122. *lib.* 1. apud Tiraquel. 5. *num.* 142. Et respondent *ad* 99
d. l. anniculus procedere in extraneo relinquente, si fœmina pariat: non verò si hoc dicat Pater, qui æquè diligit filium natum cæso ventre ac ortum iuxta exigentiam rerum & in faciendo legato respexit ad filium, non ad modum natiuitatis, de quo modo non est curandum, quando est habita rei substantia, *l. mater, C. de iust. & subst.* Alex. *in l. commodissime in* 100
fine, ff de lib. & posth. Iason. *in d. l. quod dicitur*, & hoc, quia Pater ita statuisset, si interrogatus fuisset; & sic habetur pro disposito, *l. titius* 25. §. *lucius*, ibi. *Licet ignorante Testatore: tamen institutionem Iure factam videri.* Ita etiam, *ff. de lib. & posth.* Gloss. *in l. tale pactum*, §. *vltimo, ff de pactis.*

Sed si ita discurrendum est de institutione facta à Patre, non video cur non etiam de facta ab extraneo; nam eadem vrget Regula, *si præuidisset, statuisset*; & ratio id suadet; quia magis mens, quam verba est spectanda, *l. cum virum, C. de fideicom.* Si ergo relinquit rem filio, quando in partu Mater minùs 101
patitur, multò magis, quando secatur; nam tunc est magis miseratione dignus. Et consequenter ad ista affirmo, succedere extractum vtero secto in vtroque casu. Nec obstat Text. *in l. anniculus* 132. *l.* 1. *ff. de verb. signif.* Nam dico, certum esse Matrem non peperisse; nec natus secto ventre potest succedere, si Testator taxet modum nascendi, de quo constare non potest: cùm parum intersit, secto vtero, an alia via nascatur. Nam reuera filius est; & mater dicitur, filium habuisse tempore mortis, *l. etiam* 141. *ff. de verb. signif.* ibi, *Etiam ea mulier cum moreretur creditur filium habere, quæ exciso vtero edere possit.*

APPENDIX XI.

An, si Infans tantùm caput viuus emiserit, & ibi inter angustias pereat, rumpat testamentum reuocetque donationem?

NOn rumpit, nec donationem reuocat, *l. 1. C. de posth. hæred. inst.* ibi. *Sancimus, si viuus perfectè natus est; li-*
102 *cet illicò, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis, decessit, nihilominùs testamentum rumpi; hoc tantummodò requirendo, si viuus totus processit ad orbem ad nullum declinans monstrum, vel prodigium*, vbi obserua ly *perfectè natus* & ly, *viuus totus processit ad Orbem*; quod non conuenit illi, qui tantùm caput foras emisit; Nam perfectè nato, ad natiuitatem nihil deest, argumento Text. *in l. 1. ff. de ordine Iuris*. Poterit tamen in capite baptizari, vel in alia parte, quæ appa-
103 reat; Quia Deus sacramentum tantæ necessitatis, nullis cancellis angustiauit. Tiraquel. *suprà num.* 156. vbi citat & sequitur D. Thom. *in 4. dist. 6. art. 1. q. q. 1.* Riccard. *dist. 3. art. 4. quæst. 3.* Scotum *dist. 4. membr. 1. quæst. 3.* Archid. Dom. Card. *in cap. baptizari dist. 5.* Hanc sententiam tenent Bartol. Corneus. Aretinus *in d. l. 1.* Bartol. & Angel. *in l. quod dicitur, ff. de lib. & posth.* Alciat *in l. qui mortui, ff. de verb. signif.* docentes nec donationem per istum reuocari. Peregr. *de fideicom. art. 43. num. 31 ex l. quod certatum, & l. antecedenti, C. de posth. hæred. inst.*

APPENDIX XII.

An extractus ab vtero, reciso aliquo membro impediente extractionem rumpat Testamentum, & reuocet donationem?

PEregrinus *suprà num.* 32. ait; Istum non esse perfectè natum totum, quod exigitur *in l.* 3. *C. de post. hæred. inst.* 104
Sed mihi hoc non placet, quia hic reuera est filius, ac perfectus homo; & Text. *in d.l.* 3. quando vult, *vt totus procedat ad orbem*, tantùm exigit, ne ante natiuitatem moriatur, modo quo in superiori resolutione; secus, afflicto adderetur afflictio, & ita docet Tyraquell. *suprà num.* 160. etiam si statim pereat, ex eo quia est compositus Anima & corpore, quibus perfectus homo, teste D. Athanasio, in symb subsistit *cap. in quadam de celebratione missarum.* Corneus, & Alciat. *in d.l. qui mortui.*

APPENDIX XIII.

An satis sit puerum viuum esse natum?

AFfirmant Bald. *Consil.* 122. *&* 128. Decius *consil.* 623. Parisius *consil.* 146. *in fine*, *vol.* 4. Cæpolla *consil.* 50. *in* 105
ciuili. Boërius *dec.* 220. *ex l.* 2. *&* 3. *C. de posth. hæred. inst.* ibi, *hoc tantummodo requirendo, si viuus totus processit ad orbem*, Ergo tantùm requiritur, vt viuus nascatur totus. Ego istis consentio, si puer ille possit viuere modo, quo supra explicuimus; nec limito menses, vt volunt alij: nam puto rem istam esse incertam; nec satis sibi, ad cognoscendum, quonam tempore, quis perfectè sit organizatus, cum Arist. *de generat. animal. libr.* 4. *cap.* 4. Auuic. *libr.* 9. *de Animal. &* 21. *lib.* 3. *tractat.* 2. *cap.* 1.

Nec obstat, quod statim moriatur, & sic sit ita, ac non na- 106

tus; *c. nam & ego 3. de verb. sign.* ibi, *mox natus sine nomine, quasi nunquam esset, de vita decessit*, quo Text. ducti Tyraquell. Addentes ad Afflic. & alij probant natum in octauo mense non succedere, quasi non sit, statim decedit: nam hæc ratio probaret, nec natum nono mense, si statim decedat, succedere, quod tamen est contra Text. *in l. vxoris abortu*, & *in l. 3. C. de posth. insuper Text. in d. cap. nam & ego*, loquitur de nato tempore ordinario; vnde non potest adduci pro aduersariis; cum ibi Salomon non loquatur de fratre abortiuo. Et rectè se nominet primogenitum, quia ad ipsum, iura primogeniti transierunt, sicuti ad Iacob iura Esaü; vnde veluti substitutus loco
107 primogeniti, Primogenitus rectè appellatur, *l. vnica in principio, Cod. de rei vxor. actione.* Et Primogenitus dicitur qui successionis tempore est maior, licèt alius ante natus fuerit mortuus Tiraquell. *quæst. 3. num. 9. de iure primog.* Bald. Alex. Iason. Palaex, quos sequitur Menochius *libr. 4. præpar. 92. num. 3.*

Appendix XIV.

An mortuus succedat? Et infans quanto tempore debeat viuere, vt succedat, & alios excludat?

MOrtuus non succedit, *l. mortui, ff. de verb. sign.* Vnde viuere debet saltem per momentum, *l. vxoris abortu 2.* ibi,
108 *Quamuis, natus illico decesserit*, & *l. 3.* ibi, *licèt illicò, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis, decessit.* Ita, *C. de posth. hæred. inst.* Decius *consil. 623. num. 1.* Hinc fit à masculo excludi fœminam; licèt ille statim moriatur, secundum Decisium *suprà.* Bald. *in l. si quis posth. §. si filium, ff. de lib. & posth.* Barthol. *in l. si infanti, C. de Iure deliberandi.* Romanus *consil. 58. in 2. dubio.* Angel. *consil. 141.* Capra *consil. 12.* Corneus
109 *consil. 146. lib. 1.* & qui momento vixit, quoad ius succedendi, est ac si longo tempore vixisset, *l. hæredibus 77. in fin prin. ff. ad Trebell.*

Trebel.l.cum vxori 4.*C.quando dies legati cedat.*Cefal.*conſ.*50. *lib.*1. Peregr.*de fideicom.art.*43.*n.*27.

Certum eſt ergo ſuccedere filium natum, quando viuere poteſt, licet ſtatim decedat, *d.l.vxoris abortu.* Vnde facit deficere fideicommiſſum relictum, ſi ſine filiis deceſſerit, *d.l. hæredibus* 4.ibi, *Videri fideicommiſſi onere liberatos.* Ita, *ff. ad Trebel.* Aretinus *conſil.* 50. Alex. *in d. l. vxoris abortu.* Soccin.*in l. cum Auus*, *ff. de cond. & demonſt.* Guerra *vbi ſuprà num.* 107. Peruſinus *conſil.*28.*ex l. quod certatum* 3. *& l. antecedenti*, *C. de poſth.hæred.inſt.* Et rumpit Teſtam. *l.*1.*C.cit.tit.* Peregrinus *ſuprà num.*27. reuocat donationem benefic. Text. *in l.ſi vnquam, C.de reuoc.donat.* Tiraquell. *ſuprà num.* 197. Et excluduntur fœminæ perpetuo ſecundum Calderin. *conſil.*4. *tit.de feudo.* Fulg. *conſil.*8.*lib.*2. Alex. *conſil.* 29.*lib.* 2. Decium *conſil.* 390. aientes perpetuo fœminas excludi filio nato, & mortuo, ſufficit ſi momento adſit eoſt mortem grauati, *l.cum vxori C.quando dies legati cedat.* Soccin. Iaſ. Ripa, & alij apud Menoch.*lib.*4.*preſ.*89.*num.*113.

110 112 113.

APPENDIX XV.

An reuiuiſcat Teſtamentum & donatio, ſi filius ſtatim decedat?

RESpondetur quod non deciſum, *in d. l.vxoris abortu*, ibi, *poſthumo vero præterito*, quamuis natus illico deceſſerit, non reſtitui ruptum Iuris euidentiſſimi eſt. Et hoc licet viuo Teſtatore filius decedat, *l.ſi filius, qui in poteſtate*, *ff. de lib.& poſth.l.qui vxorem*, *ff. de iniuſt. teſt. d.l.hæredibus* 4. Tiraquell. *ſuprà num.* 197. vbi de donatione, id probat *per l.ſi vnquam, verb.in arbitrium & ditione menſurum*, *Cod. de reuocand. donat.* illa namque verba perpetuitatem inducunt, *l.aliud eſt capere*, *ff.de verb.ſignif.l.vlt.in fine*, *ff.de lib. leg.* vbi dicitur manere quod perſeuerat, *cap. quia in omnibus de vſuris.* 113

Nec obſtat Text. *in l.Poſthumus præteritus*, ibi. *Poſthumus*

præteritus, viuo Testatore, natus decessit, licèt Iuris scrupulositate, nimiáque subtilitate Testam. ruptum videatur; attamen si signatum fuerit Testamentum bonorum possessionem secundum tabulas accipere, hæres scriptus potest, hæreditatémque obtinebit. Ita *ff. de iniust. rupto test.* nam respondet Tiraquel. *suprà* illud Testam. prætoria æquitate confirmatum; quæ æquitas non inuenitur scripta in donatione, vnde, nec inducenda, *contra reg. Iur. de test. ad donationem.* Insuper *in*
114 *d. l. Posthumus* reconualescit testamentum, quia ibi erat institutus hæres, qui ab intestato veniret, deficiente posthumo Alex. *in l. Pater, C. de iust. & subst.* & Bald. *ibi consil.* 128. intelligit, si institutus sit filius in illo Testamento, nec omittendum est Alciat. *lib. 3. paradox. in fine*, docere ibi nullatenus Testamentum reconualescere iure ciuili aut prætorio, licèt instituti sint venientes ab intestato.

115 Quomodo autem sit intelligendum (*qui statim recessit, est ita ac si non fuisset*) Adeas Bort. *consil.* 181. Bald. *consil. lib.* 5. Corneum *in l. si quis hæredem, C. de iust. & subst.* Ancharan. *in cap. non potest de præbendis in* 6. nam ex dictis satis constat, rem non esse perpetuam.

Appendix XVI.

An substitutio facta sub conditione, si institutus liberos non habuerit, cesset natis & mortuis illicò liberis? & quid de fideicommisso?

116 Constat ex dictis, in quo mense debeant nasci: nunc ad difficultatem: cessare substitutionem vult Octrad. *consil* 21. & 121. eiúsque discipulus Ioan. Andreas *addit. ad specul. tit. de test. §. in primis in fine.* Cynus *in autent. sed & si quis in fine, C. de secundis nuptiis* Bald. *in l. vltim. col.* 8. *v.* 25. *quæritur, C. de hæred. inst.* Fulgosius *consil.* 46. Panorm. *lib.* 1. *consil.* 40 *dub.* 2. Quod Angelus *in §. quoniam infirmas Autent. de Nuptiis*, asseruit de omni conuentione facta: (si sine liberis decesserit

decesserit,) scil. sufficere liberos semel extitisse; & ratio est; quia, de priuatione ad habitum non datur regressus. Ergo, si testamentum, substitutio, Donatio est extincta, natis liberis, 117
non potest reuiuiscere, nisi accedant de noua illa, à quibus incepit, scilicet voluntas Testatoris donantis, &c. *l. inter stipulantem*, *§. sacram. in principio, ff. de verb. oblig.* vbi stipulatio est nulla, licèt statim facta stipulatione, res fiat stipulabilis, puta, homo liber fiat seruus, res sacra profana, *l. qui res, §. aream, ff. de solut. l. menius, §. duobus, ff. de leg. 2. cap. quaris de consecr. dist. 4.*

Huc reuoca, quæ supra dicebamus, scil. cessare fideicommissum relictum, *si sine liberis discesserit*, licèt statim nati 118
moriantur, *l. ex facto, § fin. ff. ad Trebell. l. filiusfam. § cum quis, ff. de leg.* 1. Bald. *in consil.* 1. *§. quin etiam, tit. & Episcop.* & Abb. *vbi* Afflic. *num.* 23. Iason *in l. in substit. col. ff. de vulgari.* Decius *in cap. ex causis num.* 42. *de offic. deleg.* Quæ omnia probabiliter dicta esse volo; considerandum relinquo, An hic habeat locum Brocardicum, *cessante causa finali dispositionis, cessat dispositio.* Tantum noto contra dictos DD. docere Odo. *tract. de compen. art. 2. part. 6. num.* 13. Cefal. *consil.* 221. contra quos sentit Peregr. *de fideicom. art.* 43. *n.* 28.

APPENDIX XVII.

An, relictum matri, si pariat, debeatur, si Partus sit monstruosus?

PRodigium monstrum à successione exclusum, sancitum 119
habes *in l. non sunt liberi, ff. de statu hom. l. penult. in fine, C. de posth. hæred. l. quæreret et aliquis, ff. de verb. signif.* Soccinus *in d. l. cum Auus num.* 111. Marcus *dec.* 168. *num.* 10. Mater tamen, quæ illud peperit succedit, petitque id, quod sibi reli- 120
ctum est, sub conditione si pariat, *d. l. quæreret.* Bartol. *in d. l. non sunt liberi.* Peregr. *de fideicom. suprà num.* 24.

Appendix XVIII.

An filius natus in mense, in quo viuere non potest, si viuat, sit legitimus successor.

121 Fateor hypothesin apud me impossibilem, est enim contradictio, quod possit viuere, non vitalis, cùm posse viuere ab intrinseco, (vita enim ab intrinseco est) sit posse esse vitale, & actu viuere, sit actu esse vitale. Tamen quia video Iurisconsultos admittere, octimestres viuere, & negare esse vitales ex se. Ideò pronuncio, quod quotiescunque infans viuit, tunc ei debetur successio, & rumpit Testam. Ratio est primo, quia re vera est filius legitimus. Secundò, nam tota ratio, cur non succedat, si statim moriatur est; quia licèt legitimus, non habetur vt natus, cum illicò decesserit. Sed quando perseuerat in vitâ, non statim decessit; ergo habetur vt natus, & cessat dispositio Text. *in cap.3. de verb.sign. & in §. dubitatum Autent. de incestis nuptiis, vbi nasci, & natum mori, paria sunt;* Et pro hac sententia volo omnes DD. Afflic. supra Alciatum *in l.qui mortui 129. in fine, ff.de verb.sign.* & alios, qui ideò excludunt octimestres, quia non viuunt.

Appendix XIX.

Quis debeat probare partum esse natum mense, in quo viuere potest?

122 Semper præsumitur natus partus legitimo tempore, & sic pars, quæ hoc negat, debet probare, *l. ei incumbit, l.eum qui ff.de probat, l.Author C.eodem.* Decius *consil.623.num.4.ex l.eum actum, ff.de negotiis gestis, l. matrem C. de probat.* Bald. *in l.non solum, §. Sed vt probaui, ff. de noui operis nunc.* Natura enim aptis temporibus fœtum in lucem prodit; & præsumptio est

est matrem peperisse iustis temporibus. Soccinus Iunior *consil.35.num.24.& 25.vol.2.* Bursa *consil. 63.num.21.* Et præsumitur vitalis viuens per horam Menoch. *consil.* 244 *num.* 7. *&* 39. *vol.* 3. Cagnolus *in l.* 1. *num.* 193. *ff. si certum putatur.* Franciscus Guerra *consil. decisiuo num.* 50. vbi docet illum debere probare, qui asserit partum intempestiuum.

APPENDIX XX.

An quinquemestris sit legitimus?

ESse vitalem quinquemestrem, & consequenter legiti- 123
mum, docet non solùm ratio, quod scil. homini non sit præstitum certum natiuitatis tempus Decisio 45.apud Zacch. *lib.* 10. *num.* 7. *&* 11. sed hoc probat etiam experientia teste Cardano *lib.1.contrad.med. tract.3.* referens duos, vnum natum die 168. & alterum 170. Et Ferdinandus Mena Professor publicus & Medicus Regis Catholici *in Commentario Hippocratis de septimestris partu cap.4.* vbi affert exemplum de Pincerna Regis Francorum. Consentit Valesius *lib. 6. Epidemiorum 2. sect.* 3. Hieronymus Montuus Regis Galliæ Medicus, *lib. Anast. morb.* 40. *&* 41. Horatius Ancerius *in lib. inscript.* quod certum non sit nascendi tempus. Refert de puero Auuenalis comitatus Auximan Diœcesis nato in 5. mense. Ioannes Schenchius *obseru. med. tom.3. lib.4. num.151.* consentit ex legistis Rogerius *consil.1.n.14.* vide *sup 1.n.58.*

Rota tamen Romana de *supr. cit. n.12.* oppositum decreuit. Videas *suprà n.58. & 59.*

APPENDIX XXI.

Natus septimo mense, ex Matre, quæ transit ad secundas nuptias, An sit posthumus primi viri?

ANsam difficultati præbet temporis Varietas 7. 8. 9. 10. 11. &c. mensis, in quo potest posthumus nasci, succe-
124 dere, Paternúmque rumpere Testamentum, vt constat ex dictis. Si ergo Mater edat partum post secundas nuptias, cuinam succedat, mortuo an viuo marito?

Puto rem decidendam præmissa diligenti indagatione circa coniecturas, quibus comprobatur aliquem esse filium vnius potiùs quàm alterius. Quæ sunt primò, si erat prægnans tempore primi viri. Secundò similitudo. Quæ coniecturæ, an sint sufficientes, est grauis difficultas; & ad medicos recurrit Surdus *dec.* 83. *num.* 11. quod esset optimum Consilium, si Medici
125 essent Diuinâ scientiâ afflati. Sed res obscurissima est. Et mulieres ipsas errare in grauidatione, non solùm per vnum, vt Acutissimus aduertit Caramuël, sed per plures etiam menses, decisum habes in vnâ Auximana Alimentorum 1. Iunij 1620. Coram Pirouano *num.* 22. ex Arist. & Plinio Tiraquell. *in l. si vnquam, v. susceperit liberos num.* 210. *C. de reuoc. donat.* Consentitque Aristoteles *de hist. animal. lib.* 17. *cap.* 4. ibi. *Illorum enim conceptus initium ignorant mulieres flatibus enim*, &c.

Expendamus ergo prædictas coniecturas: Decisuri deinde controuersiam.

§. I.

An ex Prægnantia colligatur filiatio?

126 CErtum esset, aliquem filium esse, si posset cognosci à grauida hominem geri. Sed, ante quatuor menses, difficillimè: Post probabiliter. Et in nullo tempore euidenter id posse cognosci firmat Zacch. *qq. med. leg. lib.* 1. *tit.* 3. *quæst.* 3.

quæst. 3. *num.* 7. contra Cagnolum *in l. si quis prægn. ff. de reg. Iur. num.* 5. Giurbam *consil. messan. cap.* 8. *Gloss.* 2. *à num.* 5. ex Hyppocrate *lib. de nat. puer.* Arist. *de Hist. animal. cap.* 4. Et ambagibus, ambiguitatibúsque plenam cognitionem prægnantiæ rectè obseruauit Laurentius *anat. lib.* 8. *cap.* 4. Vallesius 127
4. *Epit. text.* 49. &c, maioris doctrinæ ergo, percurramus singula prægnantiæ indicia.

Primò Turgentia ventris potest prouenire ex morbo hydropæ, ventositate, menstruorum detentione; vnde in expertas dixit mulieres ex ventris tumore, arguentes se grauidas Hyppocrates *lib. morb.* & prægnantiam inde non probari docuit Mascard. *vol.* 3. *de prob. concl.* 1147. *n.* 16. 128

Secundò lactis coniectura est fallax Hyppocrates, *Aphor. sect.* 5. *Aphor.* 39. ibi, *Si mulier lac in mammis habet, neque est, neque peperit, huic menstrua defecerunt.* Auuic. 12. *Tertij cap.* 3. imò in viris lactem se vidisse testatur Zacch. *suprà n.* 21. Et historias videas apud Schench. *obseru. lib.* 2. *tit. de mamillis*, taléſque esse omnes Viros noui Orbis, testantur Cardanus, *aphor. sect.* 9. *aphor.* 37. Barricellus *de lactè cap.* 35. docueràtque Aristoteles *lib.* 1. *de hist. animal. cap.* 12. & *lib.* 3. *cap.* 20. Virginesque lactem generasse docuerat Ionbertus *lib.* 5. *error. cap.* 3. Laurentius *anot. lib.* 8. *q.* 1. 129

Tertiò, Menstruorum defectus, & apparentia, est prægnantiæ inane signum, cum menstruentur prægnantes, & concipiant menstruis destitutæ Schench. *lib.* 4. *obseru. tit. de concept.* Hyppocrates *hist.* 5. equidem Aristoteles *de hist. anim. cap.* 2. exemplar. apud Zacch *suprà n.* 31. 130

Quartò, Maculæ in facie signum quod femellæ gestent, est elusorium: nam multæ grauidæ illis maculis carent Zacch. *num.* 32.

Quintò, Motum in vtero incertum est à Sobole oriri Fortun. Fid. 3. *de relat. med. cap.* 4. Nam motus, à ventositate, vel à molâ, quæ mouetur, vt embryo, potest oriri. Auuic. 21. *Tertij tract.* 2 *cap.* 18. de quâ molâ infra. 131

Et historiam refert, Haruêus *de partu*, §. *noui iuuenculam.* Sic [Noui Iuuenculam filiam eiusdem Medici mihi familiarissimi, quæ grauida facta, symptomata omnia prægnantes co-

mitari, ſolita, experiebatur, ea ſana & vegeta. Poſt decimam quartam ſeptimanam fœtus in vtero motum ſentit: Tempus pariendi debitum emenſa eſt; indiciaque iam imminentis partus adeſſe rata, cubile, incunabula cæteráque ad partum neceſſaria in procinctu habuit: ſed fruſtrà omnia. Et Lucina votis abnuit. Motus enim ſoliti ceſſarunt, & paulatim vt increuerat, detumuit, & abſque vlla ægritudine. Sterilis autem
132 manſit impoſterum] Et poſt alias hiſtorias, ſubdit: *ſic certiſſima grauidationis ſigna obſtetrices expertas, & peritos etiam medicos, atque attentos fefellerunt.*

Sextò, Ciborum faſtidium, & vomitus, ex morbo oriri poteſt, Codronch. *de met.teſt cap.*12.

Septimò, Capitis grauitas, oculorum caligo, totius corporis dolor, non eſt prægnantiæ index, nam & in viro cerni iſta poſſunt, ſolentque.

Alia reijcit Codronchius *ſuprà*, vt eſt, quod de multa, ſcilicet miſturâ aquæ, viníve, & mellis, de quo *in l. adeò quid, §.inſula.ff.de acquir.rer.dom.*

133 In tanta ergo huius rei ambiguitate merito decernunt Iuriſconſulti ex Bart. *in l.Gallus n.*14. vbi Alciatus *num.*78.*ff.de lib. & poſth.*Non credendum aſſerentibus, ſe grauidas.

Fateor nihilominùs ex prædictis ſimul ſumptis elici poſſe probabilem prægnantiæ coniecturam. Et tales vti priuilegiis,
134 vt non terreantur, nec torqueantur, *l.Prægnantis, ff. de pocnis,* Clarus *in §.fin.queſt.*64.*num.*22. Farinac.*crimin.q.*41.*num.*84. & multò magis ſentio Bannitam huiuſmodi non poſſe occidi
135 (remoto defenſionis moderamine) ne in dubio innocens filius pereat. Duendas *in regula* 68. *Eram D. contra Mantuam ſingulari* 10.*n.*16.

136 Ex quibus omnibus etiam patet difficillimam ſumere ſpartam, præcipitanter ad trutinam reuocantem & determinantem, quando abortus ſit fœti animati, quod, ad irregularitatem incurrendam debet eſſe certum. Vide *ſuprà obſeruat.*3. *num.*21.

§.II.

§. II.

An ex similitudine probetur filiatio? ex quibus non similitudo oriatur?

CVm similitudo possit ab Imaginatiua oriri secundum Aristotelem. *Probl. sect.* 10. *Probl.* 12. Plinium *lib.* 7. *cap.* 1. D. August. *de Ciuit. lib.* 12. *cap.* 25. Auuicennam 21. 3. *tract.* 1. *cap.* 1. Fornelium *physol. lib.* 7. *cap.* 12. Gloss. *in l. non sunt lib. ff. de statu hominum.* Bartol. *in l. Gallus num.* 14. *ff. de lib. & posth.* Mœd. *dec.* 1. *alias* 19. *titulo qui filij sint legitimi.* Ruinum *consil.* 53. *num.* 9. *lib.* 5. Parisium *consil.* 10. *num.* 18 Mascard. *de prob. volum.* 2. *consil.* 272. *num.* 7. Gratianum *discept. foren. cap.* 567. *num.* 32. *vol.* 3. Hinc à similitudine non potest certè probari aliquem esse alterius filium, cùm potuerit in conceptione alium à Patre imaginari. Et ita docent Gabriel. *lib.* 2. *communium concl.* 14. *num.* 7. *tit. de præsumpt.* Ruinus *suprà*, Mascard. *supr.* Bartol. *suprà*, Menoch. *de arbit. lib.* 2. *centuria* 1. *casu* 89. *num.* 77. Rota *in vnâ Bononiensi de Gargantibus, coram Marquementio.* Rota *in vnâ Romanâ filiationis*, 1. *Iulij* 1639. apud Zacch. *suprà lib.* 10. *dec.* 81. *num.* 14. vbi fuit iudicata fallax valdè coniectura à similitudine pro arguendâ filiatione. 137

Scio tamen doctissimos viros negare imaginatiuæ hanc vim assimilandi. Primò, quia formaret etiam in fœtu organa, & sexus diuersitatem in quibus similitudo fundatur. Secundò, quia non simile, sed imaginatiua produceret simile. Tertiò, quia posset quis ad suum placitum similes produceret filios. Quartò, nam Natorum similitudo est etiam vbi deficit imaginatiua puta in plantis. Vair. *lib.* 2. *de fasc. cap.* 7. Zacch. *qq. med. leg. lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 1. *à n.* 23. *ad* 40.

In qua opinione fundati ex similitudine filiationem probare, docent Bald. *lib.* 2. *consil.* 390. Decianus *lib.* 3. *consil.* 1. *n.* 117. Strobeus *serm.* 41. Tiraquellus *ad leg. connub. Gloss.* 7. *num.* 52. Decisum *in vna Romana dotis* 10. *Decembris* 1634. *coram Merlino* apud Zacch. *lib.* 10. *dec.* 69. *n.* 12. vbi tamen *n.* 20. asseritur similitudinē solum non sufficere ad probandā filiationem. 138

139 Ego tamen puto imaginatiuæ non esse omnem vim dene-
gandam, nam experimento compertum est, ad motum ima-
ginatiuæ mori omnes inferiores potentias, vt patet in somniis.
Facit *Genes.* 30. vbi ad diuersitatem virgarum, diuersæ, Iaco-
bo, natæ fuerunt oues. In quo casu, ad quid virgarum decor-
ticationes, &c. si Deus voluisset miraculosè operari, Et quod
Iacob. dixerit. *Abstulit Deus gregem Patris vestri, & dedit*
mihi. Hoc non probat miraculum, sed tantùm à Deo instru-
ctum fuisse Iacob de modo illo naturali.

Quis námque negare poterit, lætorum, nos lætari, tristium
imaginationi torqueri. Nónne ipsi horrore perfundimur, si ali-
quod imaginemur horridum. Multi peste correpti sunt, qui
140 pestem imaginabantur Ioan Sperlingi *Zoologia Physica cap.* 13.
de Phantasiâ, §. *mirari eas potiùs quàm rimari licèt. Et* § *su-*
perant. Refert historias de virtute phantasiæ in ordine ad fœ-
tum. Nónne, qui hostium iniurias & instantem insultam ima-
ginatione euoluunt, rubent, tremunt, horrent, irascuntur.
Hulsti in Flandriâ Hollandi interceptionem tentarunt post
mortem Valentini de Lanoy inuictissimi Gubernatoris. Præ-
erat Fortalitio Nassau, quidam ex Chirurgo Centurio, qui
tanto timore fuit correptus, dum impetum hostium inspiceret,
vt sui impos fugerit, & die sequenti obierit: qui tamen si su-
peruixisset, fuisset decapitatus. Huius rei, quæ accidit sub
annum 1640. fuit testis oculatus D. Caramuël. Sed & quidam
alius timore correptus superiori anno 1661. post diem 11. ioco
ex bellici Globi laxatâ rotâ, expirauit; Grauidæ, quanta im-
primunt in fœtum mirabili quadam actione? Vide Fusè Fie-
nùm *de viribus imaginationis à quæstione* 16. *ad* 23.

Fateor tamen nullam signandi habere vim immediatè; se-
cùs soboles, nec homini nasceretur similis; cùm multarum re-
141 rum, sit imaginatio plena. Requiritur ergo ad hoc, vt imagi-
natio insculpat, cognitio rei, & vt ad cognitionem sequatur
assensus, ad quem assensum, appetitus, ab appetitu, loco mo-
tiua excitatur facultas, ad quam motionem sequitur mutatio,
alteratio Spirituum, & impressio, & quò vehementiùs est desi-
derium, vehementior est spirituum ad signandum copia. Sper-
lingi *suprà*, §. *infinitè sibi.*

Nec

Nec officiunt, quæ in contrarium adducebat Zacch. Nam ad omnia dici poteſt, ſubordinari organizatiuam, imaginatiuæ & appetitiuæ facultati; & imaginatiuam eſſe inadæquatam cauſam, eo vehementiorem, quo appetitus vehementior; ſi vero ſit leuis appetitus, leuiter aut nullo modo imaginatio concurrit; ſed totum opificium relinquitur naturæ rei organizantis, ſiue ſit pars Patris, ſiue Matris, quæ natura quandóque vt pictor formam introducit, ad inſtar Ideæ in imaginatiuâ inſculptæ.

§. III.

Deciſio principalis difficultatis.

PAtet iam ex hactenus adductis, quàm ſit difficile ex ſimilitudine, filiationem arguere, vnde mirum non ſit, ſi deciſum inueniamus, filiationem eſſe difficillimæ probationis, *l. quia ſemper, ff. de in ius vocando, l. filium, ff. qui ſunt ſui vel alieni iuris.* Homerus *Od. 9 1.* 142

Mater quidem me dicit huius eſſe: ſed ego
Neſcio: Nondum enim aliquis ſuum genitorem ipſe nouit.

Vt ergo ad rem propoſitam, tandem deueniat ſermo, puto nullatenus ſciri poſſe, quis euidenter ſit filius, ſi naſcatur in menſe 7. 8. 9. aut 10. in quo ex vtroque matrimonio eſſe poteſt, conſequenter ad coniecturas deueniendum, quarum prima eſt aliqualis ſimilitudo; puta in colore, temperie, moribus infirmitatibus, raró enim in totum filij naſcuntur, diſſimiles parentibus. Ariſt. *de generatione animalium cap.* 4. Horatius *lib. 4 card. od. 5.* 143

Laudantur ſimili prole puerperæ.

I. Dixi aliqualis; nam imaginatiuam omni vi depauperatam, nolo.

II. Si vnus ex Viris fuerit ſexagenarius: Surdus *deciſ.* 83. *num.* 18. quia in tali ætate generare, vt plurimum, non poteſt. Menochius *de arbitr. lib. 2. centuria prima caſu* 89. *num.* 58.

III. Longa infirmitas vnius; nam hæc virilitatem extinguit; & filius præſumitur natus ex non infirmo, *l. filius 7. ff. de his,* 144

qui

145 *qui sunt sui*, ibi, *Infirmitate interueniente vel aliâ causâ, veluti, si ex valetudine.* Calculus tamen vim generatiuam non impedit docente Zacchio *suprà, q. 5. n. 4.* contra Parisium *lib. 2. consil. 29. num. 8.*

146 IV. Si vnum amet, alium odio habeat præsumitur generasse, ex illo quem amat; nam odium retardat, amor genituram conciliat. Aætius *lib. vltim. cap. 26.* Roder. à Castro *lib. 3. de morbis mulierum, cap. 20.* Celaspin. *art. med. lib. 8. cap. 5.* Alias coniecturas, vt breue & longum tempus considerabit Prudens Iudex. Et natum septimo mense, si robustior sit, dicat filium primi mariti, nisi aliud negotij difficultas exigat.

Scio Alciatum *tom. 4. de præsumptionibus, præsumpt. 37. num. 15. reg. 3.* velle semper capiendam esse præsumptionem vtiliorem filio, vt præsumatur ex ditiori patre natus argum. Text *in cap. estote de Reg. Iur.* Bartolus tamen *in l. Gallus in principio, ff. de lib. & posthum.* rectiùs aliis coniecturis rem decidendam vult, & etiam matris dicto aliqualiter standum. Signorollus *consil. 55 si quæratur.*

APPENDIX XXII.

Fœmina instituta, si castè viuat, & ei substituta Ecclesia: An amittat hæreditatem si molastica fiat?

147 MOla est massa carnis informis, generata in vtero ad instar fœtûs Hypp. *in lib. de steril.* Galen. *lib. 14. meth med. cap. 13.* nunc ad casum in contingentia excludi substitutum consuluit Zacch. *qq. med. leg. lib. 10. consil. 39.* Ego litem dirimendam puto suppositâ diligenti indagatione, An mola absque Viri congressu possit in vtero generari, & vtramque partem munitam fortissimis DD. capitibus video. Agmen, cuius Princeps post Hypp. est Galenus 14. *de vsu part. cap. 10. classe 10.* Aristot. 10. *de histor. animal. cap. vltimo.* Fern. *Philologiæ lib. 7. cap. 8.* Capiuac. *in med. prar. lib. 4. c. 7.* Corbeus *Gynecei lib. 2.*

cap. 3.

cap. 3. & alij, quia in Virginibus talis mola obseruata, nunquam fuit.

At molam absque Viri congressu generari propugnant Auicen. 21. *Tertij tract.* 2. *cap.* 18. Cordon. *in lib.* 1. 7. *cap.* 18. Valerius *in Philon. lib.* 6. *cap.* 15. Pedemont. *in addit. ad mes. pract. sum.* 4. *cap.* 15. Sancta Crux *in practica tract.* 6. *cap.* 21. *n.* 27. *rub.* 27. Scaliger *comment. lib.* 10. *de hist. animal. text.* 43. Lemnius *de occultis naturæ miraculis lib.* 14. *cap* 19. Padil. Moxius, & alij quos citat & sequitur Zacchias, *lib.* 1. *tract.* 3. *quæst.* 6. *num.* 8. & non mirum nam sicuti ouiparæ, absque commistione intra se, oua infecunda generãt, ita potest etiam mulier absque viro molam generare: nam mola, ouo, correspondet Galen. 4. *de vsu part. cap.* 7. *classe* 1. & Virginem viduámque absque nota Tutoris illas generasse, Historiæ pronunciat apud Sckenkerum *obseru. lib.* 4. *tit. de mola.* Vnde corruit ratio, quæ oppositæ sententiæ erat propugnaculum. Quod si velis à Virginibus, & viduis molas non generari, dicas id esse, quia vasorum angustia sanguineæ copiæ concursu; cum frigiditate, probet impedimentum. 148

149

Hoc prænotato, puto fœminam molam gerentem castam semper præsumendam; nam cùm sit probabile, non requiri Viri concursum; & in dubio debeat præsumi quilibet bonus *cap. vnico de scrutinio* consequenter, castè semper vixisse fœminam ad fauorem innocentiæ decidendum. 150

APPENDIX XXIII.

De Gemellis, in ordine ad successionem.

VT clarior elucescat sermo, & securior decisio videamus primò, quomodo concipiantur gemelli? Secundò, quis ex gemellis sit primogenitus? Tertiò. Quid, si nascantur secto ventre?

§. I.

Quomodo concipiantur gemelli?

151 HVc etiam reduximus præsentem difficultatem, vbi de tempore conceptionis & natiuitatis disseruimus. Gemellos nuncupamus natos successiuè ex eadem copulâ *Gen.* 25. *Gen.* 8. *num.* 18. ibi, *Ad vnum igitur coïtum mulier concepit.* Nec mirum; nam ex Hyppocrate *lib. de nat. puer num.* 44 non semel genitura procedit, sed bis & ter ebullit, & eiaculatur ita, vt ex vnâ, semel, ex alterâ iterum concipere statim possit.

152 Hinc infertur gemellos non esse æquè fortes, sed priorem genitum fortiorem, & corpulentiorem: quia prior genituræ eiaculatio, est pluribus, & magis, quàm secunda, donata spiritibus.

153 Porrò in vtero non vnus, alium, tanquam in Sacco, præmit, sed intra membranas ad latus, quilibet proprio in loco continetur: vt experti norunt chirurgi; putántque ad dexterum vir, ad sinistrum latus fœmellam contineri.

154 Absolutus organis fœtus, exitum sibi, & vberiora alimenta quærit, & eò citiùs quò corrobustior, membranas dilacerat, vterum concutit, exitúmque parat Hyppocr. *sup. n.* 39.

155 Hinc factum, fœminam tardiùs, masculum, quia robustiorem citiùs, vitales extra vterum, auras petere. Hyppocr. *lib. de genit. vers.* 7. & *libel de septimest. partu num.* 1. qui hinc voluit præueniri à fœtu destinatum tempus, vt in septimestri; quia robore disrumpit pelliculas. Vide Arist. *lib.* 4. *de gener. animal. cap.* 6 Galenum *lib.* 2. *de semp. cap.* 5.

§. II.

Quis ex gemellis sit primogenitus?

156 EVacuata remanet ex dictis vulgaris, & futilis instantia de Sacco, in quo vltimo exit, qui primo positus fuit loco; vnde non est, quod nos detineat in præsenti dirimendâ difficultate:

tate: & ſic dicimus, quod primogenitus eſt ille, qui fortior & robuſtior eſt, & hic eſt, qui primus naſcitur, nam ex fortitudine habet, vt citiùs diſrumpat membranarum ligamina. Et conceptus ante alium, eſt magis auctus perfectéque organizatus, vnde ſtatim priùs exire contendit, quàm deinde conceptus. Hypp. *lib. de nat. puerorum cap.* 39. Auuic. 21. 3. *tract.* 1. *cap.* 12.

Prior ergo natus eſt primogenitus; ita nos admonet *ſen.* 25. 157
& 38. *cap. ioſeph. in fine, de verb. ſignif.* ibi, *Vt primogenitum non vocent quem fratres ſequuntur, ſed eum, qui primò natus fuit.* Primus enim eſt, ante quem nemo eſt, *l. ex duobus in principio, ff. de vulg. & pupil. ſubſt.* facit Text. *in l. proximus,* & *l. proximi, ff. de verb. ſignif.* Ioannes Circer. *de primog. l.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 6. Tiraquel. *de primog. quæſt.* 1. *num.* 9. *& quæſt.* 17. *opin.* 7. *&* 8. *num.* 2. *&* 3. Molina *lib.* 3. *de primog.* Bald. *in l. cum in antiquioribus num.* 11. *v. Sed primo præmitto, C. de Iure deliberandi.* Ancher. *conſil.* 82. *num.* 3. Mangil. *de imput. q.* 83. *num.* 19.

Nota quod antequam quis naſcatur dicitur partus, *l.* 1. *§ ex* 158
hoc reſcripto, ff. de ventre inſpiciendo, ibi; *Partus enim antequam edatur mulieris portio eſt, vel viſcerum.* Ita, *l. Dius* 159
Seuerus, ff. de extraord. crim. Et *in l. qui in vtero, ff. de ſtatu hom.* Dicitur quod exiſtens in vtero, eſt ac natus, ſi de eius 160
commodo agatur. Ergo, qui prior conceptus eſt, primogeniti priuilegia obtinebit. Sed prior natus, eſt primogenitus Tiraquel. & alij ſuprà, ergo, &c.

§. III.

Quis ſit Primogenitus ex geminis natis ſecto ventre?

PRimogenitus, vt ex dictis conſtat, eſt, qui robuſtior, vi- 161
uacior, grandior appareat, cùm vberior ad ipſum confluxerit ſpirituum copia. Hinc rectè, ex natis, ſecto ventre ille præſumendus eſt primogenitus, qui fortitudine, & magnitudine, alium excedit Tiraquel. *d. q.* 17. *l. ſi fuerit, §. vlt. ff. de reb. dubiis,* vbi mas præſumitur prior natus, quàm fœmina,

 quia

quia maiori vigore eſt præditus Gloſſ. *in l. idem erit*, vbi Bald. *in primâ lecturâ, ff. de ſtatu hominum.* Decius *in l.2. num.* 47.
162 *ff. de reg. iur.* Vnde in animantibus, quæ geminos pariunt, maſculus præcedit fœminam Plinius *libr.*10. *cap.* 58. Ariſt. *de nat. animal. cap.*4. ſimul enim duo ex vtero naſci non poſſunt. *l. Arethuſa, ff. de ſtatu hom.*

163 Quando autem ex coniecturis conſtare non poteſt, quisnam ex geminis natis, ſecto ventre ſit prior, tunc ſi aliquis, ex contendentibus exigat, ſortibus id remitti poterit. Ioan. Andr. *in cap. vlt. in fine de Sortil.* Aretinus *in l. in duobus col.*2. *ff. de vulg. & pupil.*

Baldus verò *in Proœmio Digeſtorum*, §. *itaque in fine*, putat
164 ſimul ſuccedere: conſentit Ioan. Auen *in rubr. de Sortileg. col. vlt.* nec diſſentit Felinus *in cap. capitulum*, *S. Crucis v. de duobus reſcriptis*, & veriſſimum etiam quando aliunde dubitatur, quis prior natus ſit, voluit Tiraquel. *ſuprà, q.*18. *n.*5.

OBSERVATIO V.

Mundus innouabitur non peribit in die vltimâ vltionis.

165 HOC eſt quartum caput difficultatis, quam, vt ſoluam, recolo Apoſtolum, 1. *ad Cor.* 7 dicere. (*Præterit figura huius mundi.*) Nunc meam ſententiam docent ad literam.

D. Auguſtinus *de Eccleſiaſticis dignitatibus*, ibi, *Elementa non dicimus abolenda, ſed in melius commutanda.*

D Bonauentura *in* 4. *diſt.* 48. *q.*3. ſic ſcribit. *Elementorum qualitates, & ſubſtantiales formæ, poſt iudicium remanebunt, quoad ſubſtantiam, innouabuntur tamen quoad rationem corruptionis.* Et infrà. *Ideò dicendum quod omnia elementa ſecundum ſubſtantiam remanebunt; ſed quantum ad qualitates innouabuntur.*

Durandus *in* 4. *diſt.*47. *quæſt.*3 *num.*5. ſic ſcribit, *Dicendum*

eſt

est quod mundus purgabitur & innouabitur, circa tempus iudicij, & illud magis tenetur auctoritate scripturæ & sanctorum.

Argentina *in 4. dist. 47. quæst. 1. art. 3. concl. 1.* ibi, *Ignis est venturus, qui est mundum Purgaturus*, ista conclusio patet auctoritate B. Petri, qui in secunda sua Epistola 3. ait, *Adueniet autem dies Domini, vt fur in quo Cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur*, &c. Suarez *tom. 2. in 3. parte disp. 58. sect. 1. 2. & 3. & 4.* Bonac. *de incarn. disp. 3. q. 5. punct. 5. prop. 4. n. 8.* ibi, *Mundus purgandus & innouandus est per combustionem omnium istorum.*

An verò ignis, quo mundus renouandus est, sit naturalis videas Theologiæ & omnium scientiarum magistrum D. Thomam *in 4. dist. 47. quæst. 2.* qui dicit efficiendum esse à causis naturalibus coniunctis Diuino imperio, ad illum producendum in terrâ, vel in secundâ Aëris regione.

Hinc D. Thom. *in 4. dist. 48. q. 2 art. 5.* Bonauent. Riccard. Palud. Scotus & alij, volunt animalia, & alia mixta in Mundo post eius instaurationem, amplius non futura. Et quod finita mundi exustione, omnia excrementa cum igne descendent in Infernum. D. Thom. *dist. 47. quæst. 2. art. 3. quæst. 3.* qui cum Theologis *dist. 48. quæst. 2. art. 3.* asserit, quod cœlorum motus cessabit Isaias cap. 60. *Nec occidet vltra Sol tuus & Luna tua vltra non minuetur.*

OBSERVATIO VI.

Quisnam Edulium delectus in Vigiliis, extra quadragesimam?

DE hoc sæpè quæsitus, Respondi adesse Viros sapientia 167
inclytos, euulgatis voluminibus famigerabiles, atque

doctissimos, quorum catalogum, si attexere vellem, nimius lectoribus essem. Abundat enim istis Orbis literarius, inter quos multi magis conspicui, ex eo quia in Vrbe Romanâ posteritati monumenta demandauerunt, facundissimi & acutissimi veritatis perscrutatores.

Reuerendiss. Magister sacri Palatij, P. Michaël Mazzarinus, cum eius Socio, F. Hyacintho Serronio; Nam concessit licentiam hanc opinionem imprimendi, ergo illam approbauit Romæ 1644.

D. Stephanus Medices Præpositus Generalis Clericorum Regularium die 12. Februarij 1641. Romæ apud sanctum Syluestrum.

D. Thomas de Afflictis Cler. Reg. S. Officij qualificator 28. Februar. 11. 1643. Qui omnes asserunt esse sanam doctrinam, bonis moribus non aduersam; Et subscripserunt, cum Ioann. Baptista Alterio Episcopo Pasqualio in impressione Romana anno 1654. *de ieiunio decis.* 95. & ante istos Sanchez *libr.* 4. *decalogi cap.* 25. *num.* 52. & *lib.* 5. *Consiliorum cap.* 1. *dub.* 21. *num.* 2. vbi asserit probabilius esse, nec iure, nec consuetudine prohiberi. Turlench. *lib.* 3. *Decalogi*, *cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 4. Vasquez 1. 2. *tom.* 2. *disput.* 177. *cap.* 6. *num.* 15. Rodriguez *tom.* 1. *summæ cap.* 13. *conclus.* 3. *num.* 11. Sancius *in selectis disput.* 51. *num.* 19. *verbo. Cùm igitur.* Henriq. *lib.* 7. *summæ cap.* 13. Bossius *sect.* 4. *de Iubileo*, *casu* 18. *numer.* 31. Villalobo, Filliucius, Portella, Diana, quos citat Pasqualigus in eadem Romana impressione. Tambur. *lib.* 4. *Decalogi*, *cap.* 5. *n.* 21. Escobar. 1. 3. *Ieiunij cap.* 3. Corsetus *in singular.* 146. *verb. Caro*, *vers. Pro solatio.*

Diana in vltima editione Antuerpiæ 1660. *in summa*, *verbo*, *ieiunium num.* 32. [Ex vi Iurispositiui seclusa consuetudine, nòn esse prohibita in Quadragesima, nisi sub veniali, docet Facundez & 3. (nempe, & tres alij Doctores: sic enim illi numeri, vbiuis hæc Editio exhibeat, legendi sunt) & vbi est consuetudo, non est ita facile statuendum esse obligantem sub mortali; & quamuis dicatur obligare, tamen non esse certum ea adstringi Religiosos docet Pellizz. Sed hæc omnia

omnia reijcienda sunt & contrarium planè tenendum. Sanch. & 10. etiam quoad dies Dominicos Sanchez, & 5. Quidquid his diebus illa permittat. Escobar. & 6. quod admitti non potest, vt probabile, quia à sacra Congregatione iussum est deleri in quodam libro. *Nullis tamen aliis diebus extra quadragesimam prohibentur* D. Thom. & 8 Locutio indefinita æquiualet vniuersali, *cap. quia circa 22. in fine de Priuilegiis*, ibi, *cùm nihil excipitur.* Vide Couar. *1. var. resolut. cap. 1. cap. ex libris de Iure patronatus*, *Cap. si Romanum 19. dist.* Vnde licent, non obstante consuetudine, de quâ nemo potest deponere introductam fuisse cum animo obligandi; cùm non interfuerint tempore, quo introducta fuit. Vide me *in peregrinis quæstionibus 1.*

Amodeus Guiemenius *tractatu de horis Canonicis proposit. 2.* sic ait. [Ex his principiis deducunt alij consuetudinem, quæ in quibusdam locis viget, abstinendi à lacticiniis in ieiuniis extra quagesimam non obligare sub mortali, quia non constat esse introductam scienter, & animo se grauiter obligandi, sed potiùs ex ignorantiâ, quâ crediderunt simpliciores, se esse à iure obligatos; cùm verè non sint. Ita Villalobo, vterque Sanchez, Pottel, & alij apud Dianam 1. *parte tractat. 9. resolut. 41.* Sed instabis; Quid ergo iuxta hæc dicet Facundez de Consuetud. abstinent. à lacticiniis in Quadragesima? Respondeo, quod Caietanus de consuetudine ieiunandi.]

Busenbaum in Medulla impressione Romana 1658 approbante Guinisio Socio Reuerendissimi Magistri sacri Palat. *lib. 3. cap 3. dub. 1. § Est abstinentia*, ita ait. [Est abstinentia ab esucarnium, itemque ouorum lacticiniorum, eo quod ex carne originem trahant multúmque nutriant. Vnde intra Quadragesimam iure communi prohibentur, ex eam permittuntur. Imò intra eam, quibusdam locis consuetudo permittit, quæ vbique notanda est.]

Et multi alij veritatis indagatores, quos consului, si ergo hæc opinio improbabilis, postquam est approbata in Vrbe Romana, vbi erit probabilitas? An fortè doctiores alibi, quàm

quam Romæ, quæ est nobis sapientissimum Panathenêum. Certè, ego non audeo hoc dicere, & timerem damnare tot viros benemeritos de re literariâ. Sanè, si in aliquâ ciuitate, vel regno detur consuetudo cum omnibus circunstantiis, quæ vt habeat vim legis, requiruntur, ibi hanc obligare consuetudinem, nec ego, nec vllus ex citatis Authoribus, nec vllus Theologus est negaturus, sed dari eiusmodi ciuitatem vel regnum, negant Viri doctissimi. Vide num. 189.] Non ego ita generaliter statuo, quia mundus est magnus, & diuersi in singulis prouinciis mores. Singuli Episcopi videant qualis sit consuetudo in suâ diœcesi, & populus eis assentiatur. Et, si sanctissimus D. N. per Eminentiss. DD. Cardinales aliquid statuerit, illud teneatur & dicatur; illius enim est, sicut nouum Ius condere, sic etiam antiquum limitare & contrahere. Sic sentio.

D. FRANCISCVS VERDE.

TRACTA

TRACTATVS II.

DE MINISTRANDO BAPTISMO Humanis Fœtibus Abortiuorum.

CVM probabile (aut veriùs, certum ſit) plurium Animarum ſalutem à præſente controuerſia pendere; Iampridem viros graues, & religioſos ea ſollicitos habuit, habétque nunc multò magis, cum ſub expectationem Romanæ, id eſt veriſſimæ, ſanctiſſimæque cenſuræ, rationibus in vtramque partem afferendis incumbitur. Alios enim permouet purus animarum Zelus, quas in eiuſmodi abortiuorum fœtibus frequentiſſimas perire, aut verum, aut veriſſimum putant: Quare ſummo Chriſtiani pectoris ardore nihil non agunt vt à proximorum ceruice tam graue perpetuæ damnationis periculum depellatur. Aliis verò antiquiſſima Eccleſiarum conſuetudo nihil innouandum perſuadet, dignúmque Romana grauitate ducunt, non omni vento doctrinæ circumferri; ſed omiſſo zelo, quem ſecundum ſcientiam eſſe non patet, maiorum veſtigiis ſecuriùs inſiſtere. Tanta illuſtrium ingeniorum, concertatio, dum alter de hominis, alter verò de periculo ſacramenti laborat, eô rem perduxit, vt multi cenſeant ſpeculatiuas quidem rationes euincere, illis necdum formatis fœtibus miniſtrandum eſſe Baptiſma: practicè verò non aliud vſurpari poſſe, quam quod ab Apoſtolicis vſque temporibus ad nos emanauit. Ita dum ſententiam diuidunt, vt vtriſque litigatoribus non nihil adiudicent miſellis infantibus, propter 168

quos litigatur, nihil relinquunt. Sed maneat vtique Sacramento suus honor! sit nihilominùs abortiuis pueris aliquid saltem bonæ spei, neque enim summi Theologi desunt, quibus vtrumque conciliari facilè posse videatur. De qua concliandi ratione ab egregiæ pietatis viro nuper consultus, etiamsi video R. P. Hieronymum Florentinium Congregationis nostræ Theologum, tum inueniendæ quæstioni, tum pertractandæ primas eundemque supremas lineas pro suâ sapientiâ duxisse; quia tamen status, & cardo controuersiæ totius parumper mutatus fuit; Primo de vniuersa causa, tum verò de impedimento Ecclesiasticæ consuetudinis. Ita respondeo.

I. *Humanus fœtus abortiuus licèt imperfectissimè formatus sub conditione Baptizandus est.*

II. *Consuetudo in contrarium prætenta non impedit, quin eiusmodi fœtus licitè Baptizetur.*

III. *Si Pastores Animarum positiuo decreto statuerent huiusmodi fœtum Baptizandum esse, nihil contra Ecclesiasticam consuetudinem innouarent.*

CAPVT I.

169 HVMANVM fœtum, licè editum ante diem 30. adeóq; imperfectissimè conformatum baptizandum esse primo loco posueram: quæ quidem positio, non ad inutilem speculationem, sed omninò ad praxim instruendam certissimè pertinebat. Decreta enim Pontificia, legésque à supremo Vniuersalis Ecclesiæ Hierarcha componendis hominum moribus euulgatæ nonne ad actiones, & exercitia practicarum virtutum referuntur? Videamus igitur in hoc genere num quid ab illo veritatis fonte profluxerit. Paulus enim V. in Rituali Romano baptizari præcipit fœtum *si vixerit*, si vitalem motum aliquo membro indicauerit. Nam mortua Matre

Titulo de Baptis. Huius Ritualis quã ta sit au-

Matre *fœtus* (ait) *quamprimum cautè extrahatur, & si viuus est baptizetur*. Mox ibidem. *Si aliquod membrum emiserit, quod vitalem indicet motum si periculum pendeat baptizetur.* Cum ait: *Si aliquod membrum emiserit* loquitur ex suppositione quod in eo casu iam membra sint articulata: non tamen id exigit in omnibus casibus tanquam necessarium, vnde alibi tantùm requirit vt viuat.

Auritas. V. apud Card. de Lugo de sacram. Pœnit. disp. 17. sect. 4. à num. 45.

Iam rogo: num viuat ille fœtus, ac vitalem indicet motum, in quo vegetantis animæ signa tantummodò appareant. Certè quæ vegetant, quæ nutriuntur, quæ alimentum introsuscipiunt, eadem viuere necesse est. Cum verò humanus fœtus multo ante diem trigesimam nutriatur, vt in confesso est apud omnes, & viuit, & vitalem indicat augmentationis motum incepta iampridem articulatione membrorum. 170

At (inquis) Accretio fuit illa, non vera, vitalisque nutritio. Audio; sed *a* Aristoteli, atque *b* Galeno contrarium docentibus maior fides. At partes per nutritionem additæ vixisse indicant, non viuere ad præsens. Benè mones; sed cum vixisse constet periisse non constet, & cur quæso sub insolubili dubio non baptizetur? At D. Thomâ, & Aristotele testibus adest ibi, vegetabilis tantummodò Anima nondum Rationalis. Probabilia sunt illa: verùm opposita quoque multa probabilitate non carent, Pontifex autem cum optime sciret vigere inter Philosophos eiusmodi controuersias; non præcipio (inquit) si sensu, si ratione præditus est, sed omninò si vixerit baptizetur. Nolo ab incertis opinionibus salus animarum dependeat, nolo de remedio quæri vbi vix nato remedij tempus à morte præciditur. Summis quoque Philosophis probabilissimum est humanum fœtum nunquam viuere nisi humanam vitam, igitur *si viuit*, non disputetur, sed baptizetur.

a *De Gener. Animal. lib. 3. c. 2.*
b *De Form. fœtuum c. 3.*

Sed age, vitalem indicet motum non modo vegetabilis verum etiam sensibilis animæ, locóque motiuæ. Malo enim hanc esse germanam loci eius interpretationem, fateor omnes hunc oculis motum requirere, vt Puerum baptizent; denique hanc esse consuetudinem antiquam ratam, communem apud vniuersos Christi fideles, vt motum quasi præcipuum vitæ indicium postulent ad fœtum salutari lauacro expiãdum. Legem 171

taque interpretatur conſuetudo conſuetudinem lex ipſa confirmat, vt nemini dubitandum ſit, quin Pontifex de illa præſertim vita ſermonem fecerit, quæ per membrorum viſibilem motum deprehenditur. Hæc ſi tanquam certiſſima omnes admittunt; omnes admittere pariter debent multò ante 30. multò ante 20. ante 15. ſemel vt dicam circa tertiam à primo conceptu diem poſſe abortiuos fœtus ſacro iam fonte mundari. *Si viuus* (inquit) *eſt baptiZetur*; atqui tertia, vel quarta demum luce certò certiùs viuit: Si vitalem indicet motum Baptizetur; atqui circa idem tempus ſyſtoles, & diaſtoles motu cieri iam præcordia cum frequentibus, tum apertiſſimis experimentis iuniores medici patefecerunt.

172 Vnum (ne infinitum faciam) pro multis dabo Anglicum Harueum Anatomicæ Artis peritiſſimum, cuius experimentis plurimum inter cæteros, tribuit Ioannes Claudius Veſulanus Regis Poloni Medicus, qui etiam de nutritione fœtus in vtero librum conſcripſit. Is ergo (Harueum dico) *de generatione Animal. Exercitat.* 58. *Ego verò* (inquit) *pluribus experimentis certus ſum non ſolùm motum ſalienti puncto ineſſe* (*quod nemo negauerit*) *ſed ſenſum etiam. Nam ad quemlibet, vel minimum tactum, videbis punctum hoc variè commoueri, & quaſi irritari. Vidi* (*inquam*) *ſæpiſſime, alijque viderunt, qui mecum aderant ab acus, ſtyli, aut digiti contactu, imò verò à calore, aut frigore vehementiore admoto punctum hoc varia ſenſus indicia, nempe varias permutationes ictúſque validiores, ac frequentiores edidiſſe. Quæ omnia tertia die à conceptu euenire pluribus idem locis teſtatur, vnde Ioannes Claudius part.* 3. *cap.* 4. libelli nuper laudati ſic inferebat: *Concludamus ergo embrionem ab initio viuere ſenſitiuè.* His optimè conſonant quæ Hyppocrates *lib.* 1. *de Dieta.* Quæ Federicus Bonauentura *de partu Octimeſtri lib.* 7. *cap.* 109. & apud eundem ibi Ferdinandus Mena. Itemque Gorræus *Annotat.* 12. Quæ ſuarez *de Anima l.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. Gabriel Beat. *in Philoſ. quadrip. de Anima art.* 1. *num.* 22. Hugo Cauell. *ſupplem. in Scotum de Anima ſubſt. diſt.* 1. *ſect.* 7. *num.* 5. *citatis etiam Themiſtio, & Philopono*, innumeri denique apud P. Florentin. *in ſuo de hac quæſt. libello literis prodiderunt.* Qui omnes vel

ſubitò

ſubitò à prima cordis formatione, vel perpaucis à coïtu diebus ſentientis animæ motum apparere dicunt, vt ſaltem poſt Anatomicorum oculos, nullus hoc citra Philoſophicam temeritatem negaturus eſſe videatur.

Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Dei Vicarius baptizari præ- 173
cipit fœtum ſi viuat, ſi vitalem indicet motum, ſolere autem viuere, ac moueri præcipuis membris circa diem tertiam non tam ſuadetur, quàm oſtenditur, erítne trigeſima dies expectanda nobis, vt de Baptiſmo deliberemus? Adhucne ſuſpicabimur hæc ſpeculandi cauſa proferri, cum leges actionum, morúmque directrices apertiſſimè dicant: ſi viuus eſt, ſi motum indicet baptizetur? Certè humanum fœtum, qui ſentiat, & moueat ſe in Chriſto regenerandum eſſe dubitat nemo: Quis enim differri velit infantem dum creſcat, dum loquatur, dum argumentis conficiendis vim ratiocinandi facultatémque præſeferat? Viuit? Sentit? Mouetur? Iam Pontifex, iam conſuetudo, iam ratio, iam quicumque non modò Theologus, ſed Catholicus eſt, ſalutare lauacrum ingruente mortis periculo non denegabit. *Porrò de numero dierum* (inquit eximius è Societate Ieſu Theol.) *quoad animam rationalem materia diſponitur nihil niſi diuinando dici poteſt.* Ergo ad euitandum periculum vbicumque ſenſus & motus apparet, ibi Auctore Pontifice, rationalis anima veſtiganda non erit, ſed ſupponenda.

Arriaga de Gen. diſp. 1. ſect. 6. n. 67.

Verum (occurrat hic aliquis) non modò generatim ſciendum eſſe viuere fœtus circa diem tertiam ſolere, ſed in arena, vt aiunt, conſilium capiendum, vt quoties occaſio tulerit, toties in re præſenti vitæ ſigna quæri debeant, quo licitè baptizetur. Æqua videlicet poſtulant à non repugnante; illud modò nobis conueniat: fœtum occidendum non eſſe vt experiamur an viuat. Si enim edito Abortu quô de illius vita quæratur, inuolucra (ſub quibus baptizari poteſt) ſcindere oportet, tum effuſis humoribus, quibus innatat, triduanus Puer ape non maior Anatomico more prætentari debet: vereor ego ne loco cedat Animula, quæ tenui corpuſculo tam leuiter hæſit; & quoniam in Anguſto malè habitat, addito quæſtionis metu, ſpontè diffugiat. Quod periculi genus cum ſemper immi- 174

neat non video cur tantopere flagitanda ſint experimenta vitæ, præſertim adeò imbecillis, vt plerumque dum quæritur, deperdatur. Sed vtinam vel aliquo cum periculo quæreretur; nunc autem non quæritur illa ſed deſperatur, & quamuis, Philoſophi, Medici, Anatomiſtæ ferè omnes natura demum, & experientia reclament, nihilominùs ante 30. diem nec moueri, nec ſentire fœtum tam certo aliqui putant, vt etiam in re Phyſica communi opinione decipi malint, quam diſcere, vel dubitare.

175 Sola nimirum dubitatio ſufficeret, ne de miniſtrando Baptiſmate dubitaretur. Fac enim incerta eſſe quæ de fœtus vita oculatis teſtibus confirmaui: fac nullo habendas loco tot Philoſophorum ſententias: fac verò hallucinatos fuiſſe quotquot Anatomicis artibus inſudârunt; nonne tamen ſub negatiuo etiam dubio vnicum ſummæ neceſſitatis remedium exhibendum erat? Nonne dum agitur æterna ſalus, ſatius fuerit Zelo, & diligentia; quam torpore, ac deſidia peccare? Hîc verò nihil eſt quod peccare vereamur, cum [a] Auctores innumeri, & ſapientiſſimi doceant; etiam dubia vel materia, vel forma vel ſubiecto ſacramenti poſſe illud, aut etiam debere ſub conditione conferri. Chriſtus enim Dominus pro ſua in nos bonitate mauult Sacramenta, quam Animas periclitari, quarum amore ab apertis ferro præcordiis eadem ſacramenta prodegit. Hæc igitur ſumma eſt argumentationis meæ: quoniam imminente periculo licet in dubia materia ſacramentum conficere, hominíque cuius vita incerta ſit ſub conditione conferre; multò ergo magis cum apertiſſima fuerint indicia vitæ, qualia in triduano fœtu probauimus, idem licebit.

[a] *Prepoſ. in 3 par. q. 66. à 2. dub. 3. Sanchez in ſelect. diſp. 44. n. 31. Diana p. 5. tr. 3. reſol. 2. Ianner. to. 4. diſp. 4. q. 1. dub. 2. Lugo de ſacram. diſp. 2. ſect. 9. num. 140. & alij apud illos.*

176 Sed aliquibus perſuaſum eſt oportere non modò hominem eſſe qui baptizari debeat, ſed etiam per ſigna hominis propria veluti per characteres ſuos, à non hominibus internoſci. Addunt ea ſigna, illoſque hominis characteres tales eſſe oportere, vt humano aliquo ſenſu percipi poſſint, & humano more modóque de illo tanquam de hominis fœtu iudicium feratur. Rationem reddunt, quòd viſibilis Eccleſiæ membrum viſibile ſit; & confirmant paritate materiæ quæ humano modo ſenſibilis ad ſacramentum requiritur.

Hæc

Hæc ratiocinatio (fateor) probabilis eſt, ſed reuera nihil euincit. Quippe ſacramenti materiam licèt omninò inſenſibilem ſufficere poſſe defendit Socus *in 4 diſt.9. quæſt. vnica art* 1. & D. Thom. 3. *part. quæſt.73. art.2. per tot.* quam ſententiam vt probabilem refert Vaſquez *in 3. p. tom.3. diſp.171. cap 2. num.9.* & Suarez *tom.3. in 3. part. diſp.43. ſect.7.* Deinde fœtum hominis ab aliorum animantium fœtibus humano ſenſu diſcerni poſſe ſaltem ab iis qui aliquid operis in ea recollocarunt, probari facilè poteſt ex Aldrou. *de Monſtr. pag.63.* ex Veſal. *de hum. Corporis Fabr. l.2. cap.26. & l.5. cap.7. & l.7. cap.9.*

Prætereà ſi per accidens inſenſibilis foret illa materia Baptiſmi, poſſetque ablato impedimento ſenſibilis fieri ad ſacramentum ſufficeret. Id enim habet caſus Cardinalis de Lugo, *de ſacramentis diſp 2. ſect.1. num.9.* & pluribus allatis auctoribus confirmat P. Baſſæus *tom. 2. pag.77. num.6.* at humanum fœtum aliis non diſcerni, per accidens contingit, cum enim omnia membra ſimul, eodemque tempore figurentur initio generationis, teſtante hoc diſſertiſſimis verbis Hyppocrate *lib.1. de Diæta,* a & comprobante Ioan. Claudio *de Nutrit. fœt. in Vtero, part.2. cap.5.* conſtat per ſe, & in ſe habere iam proprios hominis characteres per quos humano modo diſcernatur. Per accidens tamen, quia nempe tenuiſſima membra circumpoſitæ ſibi materiæ ſunt colore nimis affinia diſtingui non poſſunt at hoc ad Baptiſmum ſatis eſt, vt miniſtretur ergo, &c. Denique lixiuium an ſit aqua naturalis, eamque formam ſubſtantialem retineat, quis, rogo, humano ſenſu diſcernat? & tamen D. Thom. 3. *part. quæſt.66. n. 4. ad 4* ſufficere ad Baptiſmum eum liquorem confirmat. Quod permulti morales Theologi de aqua roſacea, de Iure carnis, aliiſque huiuſmodi ſaltem ſub conditione communiter docent; qui certè liquores nullo proprio charactere naturalem aquam humanis ſenſibus repræſentant; poterit ergo dubium eſſe Baptiſmi ſubiectum, ſicut materia.

177

a *Verba Hyppocr. ibi Diſcernuntur, & augētur omnia mēbra ſimul non alterum altero prius aut poſterius, quæ tamen natura ſunt maiora minoribus priora conſpiciuntur licet non prius genita ſint.*

CAPVT

CAPVT II.

178 VERVNTAMEN conſuetudo repugnat (hic enim hæſitatur) id ab Eccleſia vſu receptum non fuit; hunc Apoſtoli morem, ratiocinationum noſtrarum non vtique ignari, minimè probauerunt. At ego quæ duo in argumento inuoluta atque implicita ſunt ſecerni parumper velim quæro enim, qua tandem conſuetudine careat Eccleſia? quem Apoſtoli morem non approbent? Numne baptizandi fœtus etiam abortiuos dummodo viuant vitalémque indicent motum? at hoc ipſum cum ſit in Pontificia lege, non poteſt neque ab Eccleſiæ conſuetudine, neque ab Apoſtolicis moribus abhorrere. Quem igitur vſum non habet Eccleſia? hunc arbitror; Vitam in fœtu trium, vel quatuor dierum non veſtigandi. Quaſi verò Sacerdotum fuerit naturæ latebras,& implicatiſſimas Phyſicorum quæſtiones inuadere, ac non illi melius edita in vniuerſum lege de viuorum fœtuum Baptiſmo, minutiora iſta, quæque ab experientia pendebant, vel prudentum iudicio commiſerint, vel integra poſterioribus legibus reſeruauerint. Hoc igitur in Eccleſiaſtico more poſitum fuit Baptizare fœtus quoſcumque ſi vixerint; ſecus qui fecerit, ne ille fidelium conſuetudinem, legémque Pontificiam conuellet. Alter verò vſus præfiniendi limites vitæ præcocibus fœtibus ad Eccleſiam nunquam pertinuit; quare ſi quis in eo genere noui aliquid attulerit, in Eccleſiaſticam diſciplinam nulla propterea nouitas redundabit. An prohibeat Eccleſia ne quis recentior Anatomicus acutiore oculo videat, quod antiquiores fortaſſe non viderant? an ſi quid in re Phyſica experientia clareſcet, quod antea latebat, idcirco in moribus Chriſtianorum inclinatio vel perleuis conſequetur?

Virtutem Solis illam, qua perſpicua quæque radio permeat, penituſque colluſtrat, tunc mutatam dixeris, ſi quæ corpora tranſlucida euaſerint ex opacis? itaque vt Sol Publicæ lucis, Eccleſia Diuinorum munerum diſpenſatrix idonea quæque

ſpiritali

ſpiritali gratia perfundet, licet eadem non antea perfuderit, quia videlicet abſtruſa, longéque ſepoſita ſua quadam conditione delitefcebant. Nouas noui orbis nationes, de quibus tot ſæculis ſollicita non fuerat Eccleſia, non ita pridem nautarum induſtria monſtrauit, quid ergo? à nautíſne oſtendi poterunt noui homines qui Baptizentur; à medicis verò, & Anatomiſtis non poterunt? aut negligens Eccleſia fuerit, quod abortiuis non ante proſpexerit; diligens fuit etiamſi de Antipodibus tanto tempore non cogitauerit? Nimirum Antipus ad Geographum Abortus ad Phyſicum, neuter ad Eccleſiaſticos pertinebant, niſi quod vtriſque per alienas artes iam notis ac manifeſtis, citra vllam moris nouitatem Baptiſma iure merito miniſtrabunt.

Hoc igitur dico: ſolet Eccleſia his qui viuunt fœtibus lauacrũ Baptiſmatis adhibere: Solet Eccleſia monſtroſos etiam partus quorum natura dubia eſt, ſalutari fonte perfundere. Solet Eccleſia illos, de quibus incertum eſt viuiſne, an mortuis acceſeantur, vngere tamen, vel abſoluere ſub conditione, vt in Rituali Romano titulis *de Bapt. de Pænit. de extrema vnctione.* Non eſt igitur præter Eccleſiaſticum morem illum expiare, qui inter moribundum, ac mortuum dubius eſt; & fuerit præter morem illos abluere qui adhuc inter victuros, & viuos ambigua conditione verſantur? D. Pontificis verba. *Quod ſi dubitet an viuat adhuc, vnctionem proſequatur ſub conditione pronuntiando formam: ſi viuis.* 179

Eóque magis hæc premunt, quod certo nouimus, poſſe interdum fieri vt anima iam dilapſa, ſpiritus, qui vitales dicuntur, quoſdam in extincto corpore motus faciant at verò pulſus ille, quem in fœtu apparere ſupra monuimus, anima non præſente vix quidem contingere poteſt. Itaque hoc vnum intereſt in tanta rationis paritate; de altero an deſierit, de altero an cæperit viuere dubitatur; motus in vtróque nonnullus apparet; certior tamen, & ordinatior in fœtu; non eſt igitur cur de illo quoque non ſit præcipiendum. Si dubitas *an viuat adhuc, baptizetur ſub conditione*; non ab Eccleſiæ moribus diſſidet, quod euidenter Eccleſiæ legibus conſonat.

CAPVT III.

180 QVÆ cum ita sint, nullus opinor non videt, quàm benè iam consequatur, quod erat extremo loco probandum: nihil videlicet contra consuetudinem nouaturos animarum Pastores, si quo decreto iubeant, vt eiusmodi fœtus Abortiuorum Sacramento Regenerationis vtantur. Primo quia nihil hoc haberet, nisi extensionem legis ad alia non tam similis, quàm eiusdem planè rationis, atque naturæ; Quid enim porrò interest an in aditu, an verò in exitu vitæ dubius homo baptizetur sub conditione? Deinde cum reuera non omnes Parochi, & obstetrices de numero dierum Baptizandi fœtus consentiant, sed religiosiores quidam non parum aliorum tarditati præcurrant, nullam speciem nouitatis afferret Episcoporum in eandem hoc est in tutiorem partem propensio. Denique cum tota res ab experientia dependeat, qua fœtus opinione hominum multò citiùs viuere, ac moueri deprehensus fuit; nouas leges, nouis experimentis aptando mos Ecclesiæ antiquissimus seruaretur; quem ab Augustino morem ediscamus licet, *l.2. de Bapt.cap.3. Ipsaque plenaria Concilia sæpe priora posterioribus emendantur cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & apparet, quod latebat*: hanc Bellarminus sententiam non circa dogmata fidei, sed circa Constitutiones, quæ possunt ab aliqua temporum experientia pendere libentissimè recipit, ac tuetur. At in re præsenti non Vniuersalis Concilij decretum, sed quædam non fundata legibus consuetudo prætenditur. Non emendatione (quod tamen nomen Augustinus non horret) non (inquam) emendatione opus est, sed obsequio: vt præcipiente Pontifice si viuus est Baptizetur, ideò vel trium dierum fœtus baptizetur, quia viuit: *apertum est enim quod clausum erat, & apparet Anatomicis experimentis, quod antea latebat. Scimus, videmúsque illum viuere primis ferè diebus*; audimus summi Pastoris vocem *si viuus est, si vitalem indicet motum baptizetur*, & adhuc

Controu. to.4.part.4. l.2.cap.7.

huc exoſum nouitatis nomen inuiſámque ſpeciem (quæ nulla eſt) auerſamur? Innumera proferri poſſent ad experientiam rerum nouiter accommodata Eccleſiæ decreta; ſed inſtar omnium fuerit, quo idem Paulus V. conſtituit, vt infantes nati etiam citra mortis periculum quamprimum baptizentur; quia etiam de adultis agens qui ægreferant ſuum baptiſma diferri, ad Paſcha, vel Pentecoſtem, non differendum curauit. Hæc igitur memoria noſtra ſancita Pontifex voluit; cum tamen ab Apoſtolicis temporibus, ne quis niſi vrgente mortis periculo præterquam in Paſchatis, vel Pentecoſtes ſolemnitate baptizaretur, fixum, ratumque per vniuerſam Eccleſiam fuiſſet. Vnde Leo Papa Primus *epiſt.* 78. *cap.* I. *Magna* (inquit) *indignatione commoueor, quod quoſdam ex vobis ita comperi eſſe Apoſtolicæ traditionis oblitos, vt præter Paſchæ feſtum, cui ſola Pentecoſtes ſolemnitas comparatur, audeant ſibi non aliqua humanæ infirmitatis neceſſitate cogente, ius Baptiſmatis vindicare:* mox iubet vt Baptiſma tantummodo in Paſchate, ac Pentecoſte credentibus, & deſiderantibus conferatur. His etiam ſimilia præcipiunt PP. Conc. Pariſienſ. ex Decreto Gelaſij Papæ. Patres Conc. Altiſiodo. *can.* 18. Victor. Papa *decret.* I. Sincius Papa *in Concil. Valent. cap.* I. Hæc igitur Conciliorum decreta hæ Pontificum Romanorum conſtitutiones, hi mores ab Apoſtolis vſurpati toties, tàm diſſitis in locis, atque temporibus, tot tantorúmque Antiſtitum legibus conſtituti, quia experientia deteriorum temporum docuit, & paruulorum vitam, & Adultorum voluntatem ante illa tempora ſæpius deficere, nunc demum nouati, commutatique Pontificia Indulgentia fuerant. Et quiſquam conſuetudinem objiciat, vbi experientia rerum, vel temporum ſuffragatur? Quod ſi nunc etiam rationes conferendæ ſint; noſtra de Baptizandis Abortiuis ſententia multis quidem partibus ſuperabit. Durius eſt, Baptiſmum denegare quam differre: ibi ad aliquot menſes extrahebatur, hic penitus negaretur; Maius eſt, conſuetudinem legibus fultam, quam voluntariam conuellere, de illa centies deliberatum, noſtra certis legibus caret. Honeſtius eſt, decretum mitigare quam reſcindere, illud reſciſſum fuit, hic verò ne mitigatione quidem, ſed explicatione opus eſt. Opportunius

Tit. Baptiſ.

est, necessitatis quàm solius deuotionis ergo antiquorum instituta relinquere, in re nostra æternæ salutis periculum imminet; cum ibi sola baptizandorum desideria causæ loco afferantur. Postremò ad Ecclesiasticas cæremonias consuetudo illa pertinuit, quæ licet mutari valeant, non tamen necesse est, præsertim cum ad Auctores Apostolos referuntur. Res autem de qua nunc agitur vsum sacramentorum continet adeò necessarium, vt quoties idonea subiecta de nouo apparent, citra grauissimum crimen omitti nequeat.

182 Itaque si Paulina constitutio illa censuram nouitatis euadit (euadit autem certissimè) nihil est quod eandem vereantur decreta, si quæ de huiusmodi fœtibus baptizandis ab Animarum Pastoribus emanarint. Illo enim procliuis ratio deducit, illo Christiana pietas impellit, vrget Charitas Christi ad animarum salutem, non dico qualibet, sed qua licet, aut etiam qua debet ratione, procurandam: quarum causa omnium quidem bonorum suffragio, etiamsi dubia foret, vincere tamen deberet; nunc autem dubiis exactis clarissima in luce versamur, in qua non aliqua nouitatis species, non legum decretorumque repagula, non inconsultæ nomen temeritatis absterret, sed contra Theologorum grauissimæ auctoritates, Physicorum verò, & Anatomicorum pulcherrima experimenta nos manuducunt, & fœtum viuere, ac moueri, vel primis diebus ostendunt, cumque si viuat, & moueatur baptizandum esse Pontifex edita iam lege constituit.

Videtur ergo (quod probandum susceperam) plenissima religionis & grauitatis fore constitutio, qua præciperetur.

183 *Quoniam Paulus V. decreuit vt fætus humanus quilibet si viuat aut vitalem indicet motum baptizetur: tempus verò, quo viuere incipit non adeò exploratum est, Parochi, & Obstetrices in ministrando summa necessitatis Sacramento eam sententiam probabilem præcipuè sequantur, quæ vitando animarum periculo tutior, & opportunior esse videatur. Quare sicut idem Pontifex præcipit, vt sacramenta in exitu vitæ ministrentur sub conditione, quoties dubium fuerit an adhuc viuat ille cui ministrantur; Ita fætibus abortiuis Baptisma denegari non debet quoties de illis etiam, an adhuc viuant, dubitatur.*

Ita

Ita me consulenti respondendum putaui: Hæc tamen meaque vniuersa Romanæ, atque Apostolicæ Sedis iudicio humillimè, ac libentissimè subdo.

MAXIMILIANVS DEZA,
Congreg. Matris Dei.

CENSVRA.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D. Ioannis Caramuel, Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, &c. Cæsarei & Regij Consiliarij: Satrianensium & Campaniensium Episcopi, &c.

HABEBAM præ manibus, cùm hos duos Tractatus censurandos recepi, Iuridico-Politicam Disputationem, quam Perillustris D. Michaël Bernardus VVeytus ad summam Doctoratûs Lauream in vtroque Iure consequendam die 5. Sept. 1661. habuerat in Vniuersitate Dolanâ. In ipso ille fine cuiusdam Candidati meminit, qui ad Leg. *Athletas* π. *de excus. tut.* si non de omnibus, sed de multis agendum sit, argutè & scitè *Doctores* à docendo, sicut *Montes* à mouendo dici mathematicè demonstrabat. Vnde quicumque has Positiones, 184

I. *Diebus ieiunij extra Quadragesimam, vbi non est consuetudo, quæ habeat vim legis, comedi possunt lacticinia.*

II. *Mundus innouabitur die iudicij finalis, non peribit.*

III. *Agens intendit assimilare sibi passum: non agit in simile, sed dissimile conuertit in simile.*

IV. *Incertum est instans, in quo fœtui humano infunditur anima.*

V. *Ætas infantis semper aut ferè incerta est.*

falsitatis, nouitatis, & improbabilitatis notâ inurit, poterit *Censor* à censendo, sicut *Montes* à mouendo vocari. Prima enim ferè omnium Theologorum est. Secunda ratione apodicticâ & Patrum Veterum testimonio probatur. Tres posteriores omnium Philosophorum, Medicorum aut etiam Theologorum sunt: has P. Hieronymus Florentius, & P. Maximilianus Deza defendendas suscipiunt: has & illas D. Franciscus Verde. Quamobrem dicendum est Positiones illis contradicentes, quà Philosophiam concernunt, esse falsas improbabilésque; & qua Theologiam, in animas Infantium crudeles.

Anne hoc iterum probare iubeor? Cùm vagire infantes, mori homines, lucere solem, æstiuos dies hyemalibus longio-
185 res esse, Lectoribus suadere debeam, obedire tenebor. Dicam rem liberè, aliquas Opiniones probabiles sub alicuius Reuisoris ignorantiâ pati interdum vidi: at certas manifestas & indubitatas, quales sunt quinque hæ, incriminari nunquam audiui, nunquam vidi. At hoc ipsum videtur ad bonum publicum conducere: vult enim Petronius (hoc Censori sit nomen: eum enim nolumus nominatim confundere) hypocriseos omnem laruam exuere, nec fieri maioris quàm valet: & cum Dialectica & Philosophia sit exsors, vult quod omnes hoc sciant; nec efficaciùs hoc singulis suadere posset, quàm Primas Veritates Philosophiæ, ab Vniuersis ad vnum sine vlla limitatione admissas, inurendo notâ singularitatis, falsitatis & improbabilitatis: vnde quicumque Tyro colligat, Philosophiam Petronium ne quidem à longè salutasse. Ergo vberioris doctrinæ gratiâ videamus singulas Resolutiones.

PRIMA.

An oua & lacticinia sint prohibita vi Iuris, in ieiuniis extra Quadragesimam sub mortali?

NEGATIVAM sententiam tenent D. Thomas 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 8. *ad* 3. Durand. *in* 4. *dist.* 15 *quæst.* 9. 186
num. 1. & ibi Paludan. *quæst.* 4. *num.* 33. Palat. *disp.* 8. Gabriel. *dist.* 16 *q.* 3. *art.* 3. Caiet. *in summ. verb. Ieiunium initio.* Syluest. *q.* 5. *dictio* 1. Angel. *n.* 15. Armilla *num.* 1. Rosella *n.* 11. Sabiena *quæst.* 6. *hostien. in Rubricq. de obseru. ieiunior. num.* 5. Nauarr. *cap.* 21. *num.* 15. Abulens. *in cap.* 6. *Matthæi* 175. Viguerius *cap.* 6. *institutio*, §. 3. *vers. primo.* Medina, *C. de ieiunio quæst.* 1. Turrecremata *cap. Non oportet de consecrat. distinct.* 1. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 3 *num.* 9. Sanchez *lib.* 4. *summ. cap.* 11. *num.* 52. & *lib.* 5. *Cons. cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæst.* 2. Fagundez *lib.* 1. *de* 4. *præcept. Ecclesiæ cap.* 2. *num* 10. & *num.* 42. *vltimæ editionis.* Bonac. *disput. vltima de præcept. Ecclesiæ quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 2. Filliucius *tractat.* 27. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 45. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 3. & *in exposit. Bullæ lib.* 1. §. 4. *dub.* 3. *num.* 3. Diana *primâ parte tract.* 9. *resol.* 41. & 3. *parte tract.* 6. *resol.* 80. & 5 *parte tract.* 14. *resol.* 13. D Didacus Narbana *lib. de ætate, &c. an* 60. *quæst.* 3. *num.* 4. Bossius *de Iubil. sect.* 4. *casu* 18. *num.* 21. Reginald. Ledesma, Villalobos, & alij plures quos refert ac sequitur Pasqualigus *decis.* 68. *num.* 2. dicens esse communem omnium sententiam? Ergo D. Verde cùm eamdem tenet, viam communem ingressus ab omnibus suscipi debet. Et qui oppositum doceat, viam inuiam iniens, repelli debet, quousque tot Authores pios & doctos errauisse, euidenter ostendat.

AN saltem stando consuetudini dicendum est, peccare illos mortaliter, qui eis diebus ieiunij extra quadragesimam ouis & lacticiniis vescantur.

Respondeo, non omnem consuetudinem (hoc est, multi- 187
plicationem

plicationem actuum) inducere obligationem & habere vim legis ; ſed eam tantùm, quæ omnes conditiones habeat, quas Theologi ſtatuunt, vt conſuetudo eſſe obligatoria dicatur. Videlicet, quod non ſit per errorem introducta, nempe, à putantibus, ſe eſſe obligatos : ſed verè introducta ſit ex certâ ſcientiâ, à ſcientibus ſe non eſſe obligatos, liberè volentibus, & validè potentibus ſe obligare. Hoc ſemper admittit & ſupponit Clariſſimus D. Verde.

188 Reſpondeo ſecundò, conſuetudinem abſtinendi à lacticiniis in diebus ieiunij extra quadrageſimam, ſi in aliqua ciuitate aut prouincia hos characteres certò habeat, certò eſſe obligaturam : eamdémque, ſi alicubi eoſdem characteres probabiliter habeat, ibi probabiliter eſſe obligaturam. Et hoc ipſum & vniuerſi admittunt, & Clariſſimus D. Verde cum cæteris.

Reſpondeo tertiò, hanc conſuetudinem non dari in Hiſpaniâ : nam credendum eſt, cùm agitur de moribus patriis, indigenis ; & Hiſpani hanc non dari conſuetudinem ibi vidimus, & teſtamur. Ita Sanchez, Henriquez, Rodriguez, Portel, Villalobos, & tandem Leander, *part.3.tract.5.diſp.3.quæſt.6.* qui ſic ait : *Probatur authoritate omnium Doctorum (præcipuè Hiſpanorum, qui poſt Nauarrum ſcripſerunt,) pro certo* (N.B) *affirmant, ſuo tempore iam dictam conſuetudinem abiiſſe.*

Reſpondeo quartò, hanc conſuetudinem in Germaniâ & in Belgio non dari : viximus enim in diuerſis ciuitatibus, & in ipſis apud communitates piiſſimas & reformatiſſimas ; & vidimus ſemper butyrum, caſeum, &c. in refectorio miniſtrari.

Reſpondeo quintò, eſſe Authores doctiſſimos, qui negent dari conſuetudinem, quæ habeat vim legis in Italiâ. Demõſtrat hoc Medulla Theologiæ Hermanni Buſenbaum, quæ edita fuit Romæ anno 1658. Ibi abſolutè docemur, poſſe veſci lacticiniis extra Quadrageſimam etiam diebus ieiunij. Quam doctrinam Cenſores Romani & Magiſter S. Palatij (qui omnes ſunt doctiſſimi & in Quæſtionibus Moralibus verſatiſſimi) ſi falſam iudicaſſent ; expunxiſſent omninò : aut limitaſſent ſaltem, ſi iudicaſſent eſſe extra Italiam tutam, at non poſſe admitti in Italia. At ipſi reliquerunt vt erat : cenſuerunt igitur æquè eſſe tutam in Italiâ quàm extra Italiam.

Fortè Italiæ nomine intelligere noles Lombardiam: fortè noles Siciliam. Ergo quid in vtrâque circa abstinentiam à lacticiniis fiat, paucis habeto.

In Ditione Mediolanensi nulla est abstinendi à lacticiniis extra Quadragesimam consuetudo: sic S. Thom Doctores, & Viri prudentes & pij à nobis hîc Romæ consulti, testantur: nempe indigenæ, quibus debetur plena fides. Vbi Hispani non imperant, varij sunt mores; &, si interroges, an sint lege præscripti, te remittam ad §. *Respondeo sextò.*

De Sicilia minor est difficultas. Antonius Cotonius ad mentem Dianæ *in summâ verb. Ieiunium, num.* 55. sic inquit. [Vterque Sanchez, ac nouissimè Trullench: *vbi sup. num.*9. dolent (fortè, docent) in Regno Hispaniarum talem consuetudinem, quæ obliget sub mortali, constare non posse: quia non potest adesse præscriptio 40. annorum requisita ad eam legitimandam; maior enim populi pars à multis annis sumit Bullam & edit lacticinia etiam in quadragesima, & sic contrarius vsus non potest allegari, nisi apud paucos, & pauperiores, qui videntes alios, qui edunt lacticinia, habere Bullam, putant, edi non posse sine Bulla. Quæ omnia militant pro nostro Regno Siciliæ. Et dum hæc omnia faciant saltem quæstionem dubiam, tutò quis potest hanc sententiam sequi, quia in dubiis melior est conditio possidentis: possessio autem stat pro libertate. Et in dubio nemo præsumitur se velle obligare. Ita Diana *part.* 1. *tract.*9. *resol.*5. §. *Sed talem*, *res.*6. *in fine*, & 41. *part.*3. *in addit. resol.*20. & *part.*5. *tract.*14. *resol.*13.]

Respondeo sextò, esse hodie multorum opinionem, quæ docet, hanc nullibi consuetudinem obligare ad mortale. Sic pronunciant Sanchez *in summa lib.*4. *cap.*11. *num.*52. (non 25. vt inuenies apud ipsum) & *lib.*5. *consilior. cap.*1. *dub:*21. *num.*2. (vbi pro hac parte refert consilium Prouinciale Toletanum celebratum 1583. & Synodum Granatensem anno 1568.) Henriquez *lib.*7. *summ. cap.*13. *num.*9. Rodriguez *tom.*1. *summ. cap.*23. *conclus.*3. Villalob. 1. *part. summ. tract.*23. *diff.*2. *n.*7. Filliucius *tract.*27. *part.*2. *cap.*3. *num.*49. Portel. *in dub. Regul. verb. ieiunium, in addit. num.*9. Diana 1. *part. tract.*9. *resol.*41. Sancius *in select. disp.*51. *num.*19. Vasquez 1. 2. *tom.*2. *disp.*177. 189

cap. 6. num. 15. Bosius *sect.* 4. *de Iubilæo casu* 18. *num.* 32. & Trullench. *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 4. Quos omnes citat & sequitur Pasqualigus *decis.* 69. *num.* 2. His adhuc addi possunt Leander de Murcia *quæst.* 9. *sup. cap.* 3. *Regulæ S. Francisci à num.* 3. *pag.* 184. Baltanas *in Apologia de esu lacticiniorum fol.* 8. & Didacus Narbona *lib. de ætate ad omnes actus anno* 60. *quæst.* 3. *num.* 5.

190 Dari alicubi consuetudinem, quæ habeat vim legis affirmauit Leander: illum autem fortissimè impugnat Pasqualigus: & dum inter se disputant, tu neutrum esse certum resolue. Apud Antonium Cotonium, *vbi suprà.* Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 49. obseruat talem consuetudinem, si alicubi recepta est, introductam esse ex deuotione, & propterea admonendum populum, ne peccet ex conscientiâ erroneâ. Et nota, quæso, vltima verba: non enim populum admoneri iuberet, nisi certissimum esse iudicaret quod docet. Porrò est quæstio facti, & ab historia aut processu, non autem à ratione dependet: nam stando naturæ rei, nec Leandri, nec Pasqualigi opinionem esse veram repugnat.

Authores, quos D. Verde legerat, & citat, sunt Sanchez, Turlenchius, Tamburinus, Escobar, Amædeus Guimenius, Busenbaus, Vasquez, Rodriguez, Henriquez, Sancius, Bosius, Villalobos, Filliucius, Portel, Corsetus, Diana, Pasqualigus, & alij, omnes piissimi, omnes doctissimi, omnes Classici: qui omnes agunt de Episcopatibus, in quibus consuetudo hæc ex deuotione sit introducta; non autem de illis, in quibus à scientibus se non esse obligatos, potentibus & volentibus se grauiter obligare fuit introducta: quia vbi agitur de his, nulla est Theologorum dissensio: omnes enim conueniunt, seruandámque esse consuetudinem asserunt, sub mortali.

Infert D. Petronius. Ergo D. Verde sententia est falsa, est noua, est improbabilis. O falsam, ô nouam, ô improbabilem (aut veriùs, ô nullam) mei D. Petronij Logicam! Addit D. Petronius. Eminētissimi D. Cardinales declarabunt contrarium. Ad hoc ego dico nimis videri perspicacem, qui præterita nescit, & futura contingentia prædicit. Non declarabunt puto illi contra opinionem communem. Quid, si fecerint? Declaratio

ratio illa faciet Ius nouum: habebitque practicam authoritatem, quantam iusserit sanctissimus Dominus noster, cui, quidquid expediat, præcipiendi authoritas, obediendi autem gloria nobis vniuersis relinquitur. Interim iterum moneo, sicut sunt Episcopatus, in quibus talis consuetudo non est; aut si sit, non censetur obligare ad mortale, posse esse aliquos, in quibus illa legitimè & sub graui onere introducta sit. Ergo generalis Regula dari omninò non potest. De his Episcopatibus nec D. Verde, nec Pasqualigus, nec Authores, quos citant. Sed qui sunt isti? Quid scio? Mundus est magnus: & ideò singulis Ecclesiis doctissimi præficiuntur Episcopi: Ergo singulorum Episcoporum erit in sua diœcesi examinare, An consuetudo legitimè & cum graui onere introducta sit?

SECVNDA

An die iudicij finalis Mundus sit adnihilandus, an verò perficiendus & innouandus?

HOC posterius ratio, & authoritas euidenter persuadet. *Ratio:* quia homines post resurrectionem erunt 191
corporei vt nunc: habebunt tamen corpora immortalia. Ergo erunt in aliquo loco. Ergo Mundus non adnihilabitur; quia, si adnihilaretur, nullus maneret locus. *Authoritas!* quia *Infernus*, *Empyreum* nomina locorum sunt, in quibus beati & damnati homines erunt: sed & infantes, qui sine baptismo decesserunt, sibi aliquem locum vendicabunt. Non ergo adnihilabitur Mundus: hoc enim adnihilato, nec Empyreum, nec Infernus, nec Terra, nec Limbus maneret. Vnde communis sanctorum Patrum consensus iubet, vt mundum non adnihilandum, sed innouandum fore dicamus.

Vt autem hoc meliùs intelligas, adnotato, tres esse posse in hac Controuersiâ Resolutiones. I. *Mundum, vt iacet, in æternum mansurum.* II. *In die iudicij finalis periturùm & in nihilum reductum iri.* III. *Nec permansurum vt nunc est: nec*

adnihilandum omninò : sed innouandum & purificandum. Prima est Aristotelis & Ethnicorum : Secunda D. Petronij tantummodò : Tertia Theologorum & Patrum. Vt hæc Tertia clariùs stabiliatur, nonnihil dicamus de Primâ : Secunda enim, quia noua & improbabilis est, & sola non lectione Veterum Scriptorum fundata si semel stabiliatur Vltima, suo corruet pondere, & impugnationibus non indigebit, vt ab vniuersis reijciatur. Ergo attende.

Sanè D. Francisci Verde doctrinam reperio apud Isaiam, qui *cap.* 51. ait. *Leuate in Cœlum oculos vestros, & videte sub terra deorsum : quia Cœli sicut fumus liquescent, & Terra sicut vestis atteretur, & habitatores, sicut hæc, interibunt.* Subsumo. At fumus, cùm liquescit, non adnihilatur : vestis, dum atteritur, non adnihilatur : homines dum moriuntur, non adnihilantur. Ergo nec Cœlum, nec Terra adnihilabitur.

Ignis materiam non conuertit ad nihilum, sed purificat : & mundus igne conflagrabit & perficietur. D. Petrus Epistolæ suæ tertio sic inquit. *Adueniet autem dies Domini vt fur; in quo cœli magno impetu, transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus expectantes & properantes in aduentum Dei Domini, per quem Cœli ardentes soluentur, & Elementa ignis ardore tabescent? nouos verò cœlos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus Iustitia habitat*, &c.

S. Petrus Appstolus cum Simone Mago disputaturus Thesim D. Francisci Verde propugnandam assumit : illámque se didicisse à Christo affirmat. Eius verba sunt hæc. *Tunc istud quidem visibile cœlum resoluetur vt liber : illud verò quod est superiùs, vt appareret, & Animæ Beatorum corporibus suis redditæ, inducerentur in lucem. Impiorum verò Animæ, pro immundis actibus suis spiritu flammeo circumdatæ, in profundum ignis inextinguibilis mergerentur, per sæculum expensuræ supplicia. Hæc autem vera esse, verus Propheta* (nempe, Christus) *nobis testatus est*, &c. Enumerat cœlos duos; visibile & inuisibile : sydereum (hoc *visibile* nominat propter

Planetas

Planetas Astraque, quæ in illo cernuntur) resoluendum : Empyreum (& hoc inuisibile vocat, quia ἀναστρὸν est) permansurum statuit. Ergo Firmamentum, Planetarij orbes, Elementa, &c. non adnihilabuntur, sed dissoluentur vt liber.

Simon Ethnicorum veterum errore tinctus, existimabat Mundum hunc æternum permansurum, vt iacet : adeóque ex tribus, quas dedimus, primam sententiam propugnaturus, D. Petro contradicit, & ait. *Si visibile istud, vt ais, Cælum resoluetur, cur ab initio factum est.*

Respondet D. Petrus. *Propter hominum præsentem hanc factum est vitam, vt esset interiectio quædam & diuisio; ne quis fortè indignus habitationem cælestium & Dei ipsius sedem videret: quæ his solis, qui mundo sunt corde, præparantur: Nunc autem, id est, agonis tempore, inuisibilia placuit esse ea, quæ vincentibus, ad præmia destinata sunt.*

Et Simon ait: *Si Conditor bonus, quomodo bonus bona dissoluet aliquando? si autem quasi malum dissoluit, & destruit; quomodo non videbitur malus, qui malum fecit?*

Et Petrus ad hæc: *Quoniam*, inquit, *spopondimus tibi, ne blasphemantem te fugiamus: ipse enim reddes pro his quæ loqueris rationem; patienter ferimus. Audi ergo nunc. Cælum istud quod visibile est & pertransit, siquidem propter semetipsum factum esset, haberet fortasse, quod dicis aliquid rationis, quia resolui minimè deberet. Si verò propter aliud quid factum est, & non propter se, necessariò soluetur, vt illud pro quo factum videtur, appareat. Sicut, verbi gratiâ dixerim, testa ouorum, quamuis pulchrè facta, & diligenter formata videatur, necesse est eam frangi, & resolui, vt inde pullus procedat, & illud pro quo totius oui forma expressa videtur, appareat. Ita ergo & huius mundi necesse est transire statum, vt status ille sublimior Regni Cælestis effulgeat.*

Et Simon: *Non mihi videtur, quia resolui posit Cælum, quod à Deo factum est, ab æterno enim æterna fiunt: à corruptibili temporalia & caduca, &c.*

Ecce tota Petri & Simonis dissertatio non erat, an mundus adnihilandus esset, sed an dissoluendus aut innouandus? Exstat hæc Dissertatio apud S. Clementem *lib. 3. Recognit.*

Sed & *lib.2. Recognit.* idem S. Clemens de eâdem D. Petri & Simonis Magi dissertatiòne disputans, ait. *Vnum quidem confiteri conuenit Deum, qui verè est. Cælos autem esse qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit; quorum vnum Cælum sit superius, quo continetur etiam visibile firmamentum, illud esse perpetuum & æternum* (Empyreum putat) *cum his qui habitant ibi. Istud autem visibile* (*scilicet firmamentùm & cœli Planetarum*) *in consummatione sæculi consumendum esse, & transire, vt istud Cælum quod est antiquius* (puta Empyreum) *& excelsius, post iudicium sanctis & dignis appareat*, &c.

Empyreum permansurum docet: sydereum autem cœlum & aëreum consumendum, transiturúmque: Ergo non adnihilandum sed innouandum: quo enim staret modo Empyreum continens, si cœli contenti in nihilum redigerentur?

Hæc etiam fuit sententia Hermetis (Mercurij) S. Pauli discipuli, qui in libro, quem Pastorem inscribit, sic ait. *Ecce Deus virtutum, qui inuisibili virtute & magno sensu suo condidit mundum, & honorifico consilio circumdedit decorem creaturæ suæ, & fortissimo suo verbo confixit cælum & fundauit terram super aquas, & virtute suâ Omnipotenti condidit sanctam Ecclesiam suam, quam benedixit: ecce transferet cælos & montes, colles ac maria, & omnia plena fient electis eius, vt reddat illis responsionem, quam repromisit cum multo honore & gaudio, si seruauerint legitima Dei, quæ acceperunt in magnâ fide.* Nomine *legitimorum* Præcepta intelligit: & insinuare videtur post diem iudicij Cœlum ipsum sydereum in Empyreum conuertendum esse, non autem adnihilatum iri.

Aut fallor, aut Hermeti consonat P. Antonius Schirlæus de Rheita Capucinus *in suo Radio Sydereo-Mystico, part.1. lib.4. cap.1. membr.4.* inquit enim. [Quibus verbis, quis hoc solemnissimum Paradoxon haud forsan ineptè posset inferre: scilicet post diem Iudicij fortè per *creationem cæli noui & terræ nouæ* intelligendum esse cœlum hoc visibile & terram, quasi in sedes Empyreas forè transmutanda: ita vt totum Vniuersum (carcere infernali excepto) in merum cœlum Empyreum transmutandum sit.] & statim. [Quid impediret itaque probabili coniecturâ opinari: scilicet ob reuerentiam Verbi Omnipotentis

nipotentis Dei in terrâ nostrâ concepti; & sanguinis eius pro mundi salute in illâ effusi: necnon ob infinita Christi, B. Virginis, & Electorum omnium merita in eâ cumulata; hanc Tellurem, pro maiori accidentali sanctorum solatio in locum quasi Empyreum etiam transmutandam esse?] Hanc de translatione Telluris opinionem, si Translationis nomine non iam innouationem & purificationem, sed motum localem intelligat non doceo; ajo tamen librum Schirlæi fuisse Antuerpiæ editum; & à Censoribus Ordinariis approbatum anno 1646. Stat igitur, defæcandum, purificandum & innouandum fore mundum: non verò adnihilandum.

Obijciet fortè aliquis, vt tueatur opinationem aut veriùs errorem Petronij, PRIMÒ illud Isaiæ cap. 65. *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non adscendent super cor.* Ergo terra & cœlum adnihilabuntur, quia adnihilationi opponitur creatio. Ergo, si cœli & terra noua creabuntur; hoc est ex nihilo producentur: cœli & terra antiqua adnihilanda sunt. SECVNDÒ illud eiusdem Prophetæ cap. 66. *Sicut cœli noui & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum & nomen vestrum.* TERTIÒ, illud Ioannis Reuelationum suarum cap. 21. *Et vidi cœlum nouum & terram nouam: primum enim cælum & terra abijt, & mare iam non est*, &c.

Sed hæc testimonia D. Francisci Verde, quæ veterum omnium Patrum est Resolutionem firmant. AD PRIMVM dico verbum *Creo* in sacrâ Paginâ non significare *Produco ex nihilo*, ait enim Diuina sapientia (Verbum æternum) *Ab initio & ante sæcula creata sum*, & tamen Verbum æternum ex nihilo productum non fuit. Sumendo vocem in significatione Scholasticâ aio, si hic totus mundus quoad formas & materiam desineret, & nouus loco eiusdem immediatè inciperet, nec hic dicendus esset adnihilari, nec ille creari: patet enim hoc ex mysterio Eucharistico, in quo nec substantia panis & vini adnihilatur, nec Christi corpus & sanguis creantur: sed conuertuntur & vt loqui solemus transsubstantiantur. Ergo Isaias loquitur de corruptione formali: nempe accidentali, si cœli & elementa sint corpora simplicia physicè: si autem

materiâ & formâ substantiali coalescant, quod Peripatetici nobilissimi negant, erit corruptio etiam accidentalis, si mundus tantummodò sit purificandus: aut etiam substantialis, si in nouam speciem innouandus: nunquam tamen erit adnihilatio. SECVNDVM testimonium ajo militare pro D. Verde sententiâ: nam, si ita innouabitur cœlum, vt homines: illud nunquam adnihilabitur: nam isti morientur & resurgent, nunquam tamen adnihilabuntur. TERTIVM autem non vrget: nam *abire* non est *adnihilari*.

Stat igitur hanc D. Francisci Verde Positionem esse claram & certam & apud Sanctos & Doctores communem, adeóque D. Petronij Censuram esse dignam Censurâ.

TERTIA.

An Agens agat in simile: an in dissimile?

192 INQVIT Petronius. *Si simile non agit in simile, homo non generabit hominem.* Bone Deus! Loquitur Latinè, an Hebraïcè? Vbi est Dialectica? vbi Philosophia? An-ne, qui Libros scribunt, habent obligationem illum docendi Logicam, aut eius tolerandi Censuram, quamdiu Logicam nesciat? Hæ duæ propositiones

Simile agit simile.

Simile agit in simile

quæ à Petronio confunduntur, sunt omninò diuersæ. Prima est vera, falsa secunda: ignis enim producit sibi simile, nempe alterum ignem: at, vt illum (sibi similem) producat, non agit in ignem (sibi similem) sed in lignum (sibi dissimile.) Et hoc est prima litera Abecedarij Philosophici: nam apud omnes principia generationis sunt tria: Materia, Forma, & Priuatio: nisi enim præcedat in materia priuatio, non poterit forma introduci. Agens est ignis, v. gr. materia, in quam agit, est illi iterum & iterum dissimilis: nam habet formam ligni, quâ caret agens: & caret formâ ignis, quam habet agens. Et vt

puto

puto ad ignem accedit Petronius in hyeme, quando friget: non in æstate, quando æstuat. Sed cur verba consumere debemus in re tam clarâ?

QVARTA, & QVINTA.

An tempus Animationis, & ætas Infantum sint incerta?

DE duabus vltimis Propositionibus vberiùs in Intentionalis Theologiæ Procemio disputo: nam sunt omnium ad vnum Philosophorum & Theologorum, nec dabit vel vnum Petronius, qui Arithmetico calculo præmisso instans illud, quo anima infunditur in Embryonem, determinet. Est hæc res tam incerta, vt sententiæ, quæ circumferuntur, Coniecturæ debeant vocari potiùs, quàm Opiniones probabiles. P. Petrum Hurtadum suspexi olim Salmanticæ, & hodie cum summo fructu lego: & tametsi doctissimus & eruditissimus fuerit, ait, *instans, quo anima infunditur, ab illo cognosci, qui illam creat.* Sic vir sapientissimus statuit: sic etiam doctissimus & mihi charissimus P. Arriaga, qui *de hac materiâ nîl nisi diuinando sciri aut dici posse* pronunciat: sic etiam vniuersi Philosophi & Doctores: siqui enim diem aliquem determinatum animationi præscribunt, non illum vt certum, sed vt probabilem nobis proponunt. Stat igitur hanc Propositionem, 193

Incertum est instans animationis.

Ratione & authoritate demonstrari. Ratione, quia illud est incertum, quod nec ex Diuinis literis euidenter eruitur, nec apodicticâ ratione persuadetur. At nulla Opinio (multæ enim de tempore animationis fœtûs sunt) aut sacrarum literarum testimonio manifesto firmatur, aut ratione euidenti fulcîtur. Ergo singulæ incertæ sunt. Quamobrem doctissimè Hurrad. *disp.2. de causis & ordine generationis, sect.9.* [Medici aliter sentiunt de formatione fœtus. Valesius *lib.2.controu.cap.ad fin.* ait, fœminas nunquam formari ante diem 40. Mares verò formari diebus 30. aut 35. Laurentius Andreas *lib.8.quæst.19.*

docet ex Hyppocrate longissimum terminum fœminis esse duos & quadraginta dies, maribus autem 30. quam sententiam latè, doctè & erudite confirmat Peramatus *lib. de hom. procreatione cap.* 5. Equidem ex Anatome aliquid conijci potest: quæ autem sit Embrionismi periodus, & quod animationis initium, nec Hyppocrates, nec Galenus, nec Aristoteles sciunt, nouit autem, qui omnia nouit.] Sic Hurtadus.

Æquè etiam incertum est tempus natiuitatis: nam vel quæritur, *Quot* menses, aut dies habeat iste, qui nascitur? aut, Quot menses, aut dies omnes habere debeant, vt naturaliter (hoc est sine violentiâ) nascantur? Vt alterutram valeas resoluere, nîl reperias præter coniecturas & tenebras. Dico ad secundam tempus, quo infans in ventre mansurus sit, Naturam non determinasse: nam alij manent diutiùs, alij citiùs pariuntur. Dico ad primam de illis, quorum matres semel tantùm sunt cognitæ, certitudinem haberi posse: at vero de illis, quorum frequentiùs conuenerunt parentes, nullam certitudinem haberi posse: multæ enim copulæ carent effectu, & fœminæ menstrua sua malè numerant, & sunt infantes interdum nouimestres, qui esse septimestres creduntur: & in hoc experientiæ quotidianæ credendum est, quousque D. Petronius demonstrationem in contrarium adducat.

194 Stat igitur Clarissimi D. Verde Positiones esse euidenter certas, (vt tolerarentur, sufficeret esse probabiles) & hanc, *Illæ sunt falsæ nouæ & improbabiles,* esse euidenter falsam. Ergo cùm ex diametro in materiâ tam clarâ opponimur, etiam erit certa hæc, *Petronius Dialecticam & Physicam nescit.* Sed de hac Orbis literarius sit iudex: adeóque hanc ipsam meam Censuram, & hoc meum de Domini Verde P. Florentinij & P. Dezæ doctrinâ, & D Petronij censurâ Iudicium totius Orbis terrarum iudici confidenter submitto. Romæ 12. Sept. 1662.

D. IOANNES CARAMVEL.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM.
Omnes numeri sunt marginales.

Empy

Salo

F I N I S.